F. JOSEPHI-ARCHANGELI A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM
SACRÆ THEOLOGIÆ
SYNOPSIS
AD USUM
CLERICORUM ORDINANDORUM
IN HAC SECUNDA EDITIONE
Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SYNOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE
DOGMATICO=SCHOLASTICÆ
CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum

TOMUS IV.

CONTINENS TRACTATUS

I. DE DIVINA GRATIA. II. DE ANGELIS
III. DE INCARNATIONE.

NEAPOLI MDCCCXXXI.
Ex Typografia Jo: Rusconi
Via S. Annae Lombardorum N.° 37.
Superiorum facultate.

TRACTATUS I.

De Divina Gratia.

§. 1. Esto per culpam primus Homo a Deo recesserit, Deus tamen, qui dives est in misericordia, visitavit quidem in virga iniquitatem ejus, et in verberibus peccatum ejus, misericordiæ tamen suæ oculos non avertit ab eo; sed memoratus facturæ præcellentis dexteræ suæ, ei non defuit auxilio suo, et eduxit illum a delicto, sibique reconciliatum, æterna salute donavit. Et quod misericordiam ejus magis commendat, in omnes nos illius posteros divitias bonitatis suæ adeo diffudit, ut gratia liberati a peccato, divinæ ipsiusmet naturæ consortes efficimur. O mira Dei benignitas, et dignatio! Quis intellectus quanta ea sit capere sufficiet? Quis loquetur potentias Domini, quibus impios justificat, et de vasis iræ facit vasa misericordiae? De hoc nihilominus Dei effusissimae charitatis dono, de Gratia nempe, Tractatum habere debemus. At quomodo? Ipsa Dei gratia illustrati, corroborati, et potenter in omnibus adjuti.

CAPUT I.

De varia Gratiæ acceptione, atque divisione.

§. 2. *Animad.* Gratiae nomen ad plura significanda usurpari solet. Aliquando enim accipitur pro corporis venustate, aut quadam in tractando comitate; Unde (Proverb. Cap. XXXI. v. 30.) dicitur: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Aliquando sumitur pro elegantia, et concinnitate ser-

monis, veluti cum dicitur (Psal. 44. v. 3.): *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Aliquando usurpatur pro amore, benevolentia, favore, unde aliquis alteri est acceptus; hoc sensu dicitur (Genes. Cap. VI. v. 8.): *Noe invenit gratiam coram Domino*; et Esther (Cap. V. v. 8.) dixit Regi Assuero: *Si inveni in conspectu Regis gratiam*: Aliquando accipitur pro remuneratione, aut agnitione beneficii sive re, sive voce facta. Hac ratione dixit David (Lib. II. Reg. Cap. II. v. 6.): *sed et ego reddam gratiam.* Aliquando tandem, ut caetera mittamus, usurpatur pro dono mere gratuito, quod ut merces praecedentibus operibus à Deo non rependitur. Atque hoc sensu, gratia hiç accipitur a Theologis, et Patribus; atque hoc in sensu eam nos quoque accipiemus. Iam vero gratia haec dupliciter considerari potest: *strincte* nempe vel *proprie*, et *late*, vel *improprie.*

§. 3. *Def.* 1. *Gratia late sumpta est quodvis naturale donum homini a Deo gratis concessum.* Hinc gratiæ sunt creatio, conservatio, mens, liberum arbitrium, vita, valetudo, indoles bona, memoria felix ingenium acre etc. Atque hanc gratiam necessariam admittebat Pelagius.

§. 4. *Def.* 2. *Gratia vero stricte sumpta*, de qua tantum dicturi sumus, *est donum quodcumque supernaturale hominibus a Deo gratis concessum*, *intuitu meritorum Christi Redemptoris*, *in ordine ad salutem æternam.*

§. 5. *Schol*: 1. Majoris claritatis gratia explicetur definitio. Primo namque dicitur *Donum*, quia convenit cum aliis donis sive naturalibus, sive supernaturalibus in genere. 2. dicitur *supernaturale*; quia supra naturae debitum, et exigentiam datur, et quia excedit omnem creaturarum virtutem, et ordinem. 3. dicitur *hominibus*; quia homines (sicut etiam Angeli) sunt capaces aeternae vitae. 4. dicitur

a Deo; quia Deus solus est caussa efficiens gratiae; 5. dicitur *gratis concessum*; quia ex mera Dei bonitate, et liberalitate procedit; scilicet sine ulla obligatione, et debito ex parte Dei, et sine ullo merito, et jure ex parte hominum, *alioquin gratia jam non est gratia*, inquit Apostolus (Roman. Cap. XI. v. 6.); 6. dicitur *intuitu meritorum Christi Redemptoris*, quia gratiam omnem nobis Christus Dominus passione, et morte sua promeruit; et ipse est caussa tum efficiens gratiae qua Deus est; tum meritoria, qua Christus est; *Nec enim* (Actorum Cap. IV. v. 12.) *aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 7. tandem dicitur *in ordine ad vitam æternam*; quia omnia quae pro nobis fecit Dominus Jesus Christus, et facere non cessat, ad hoc unum reducuntur; *Ut* (Ad Titum Cap. III. v. 7.) *justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

§. 6. *Schol*: 2. Jam vero quod haec gratia supernaturalis existat, nemo Catholicorum ignorat. Nam clamant Sacrae literae pluribus in locis (Psal. 85. v. 2.): *gratiam et gloriam dabit Dominus*; *Gratia* (Ephes. Cap. II. v. 8.) *estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est. Gratia Dei sum id quod sum* (Epist. I. ad Corinth. Cap. XV. v. 20.), *et gratia ejus in me vacua non fuit etc.* Haec gratia supernaturalis dividitur in *æternam*, et *temporalem*.

§. 7. *Def.* 3. *Gratia æterna est charitas illa, quæ Deus ab aeterno, et ante Mundi constitutionem nos diligens praedestinavit, atque in filiorum adoptionem elegit.* Unde apud Jeremiam (Cap. XXX. v. 3.): *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te.*

§. 8. *Def.* 4. *Gratia temporalis est omne beneficium a Deo hominibus in tempore collatum;* uti vocatio, justificatio, etc. Unde Apostolus (Roman. Cap. VIII. v. 30.): *Quos vocavit, hos et justificavit etc.*

§. 9. *Schol.* Gratia haec temporalis dividitur in *externam*, *et internam*; atque haec insuper in gratiam *gratis datam*, et *gratum facientem*; et haec gratia gratum faciens subdividitur in *gratiam habitualem*, et *actualem*; et haec rursus in *efficacem*, et *sufficientem*; quarum, sicuti, et aliarum gratiarum definitiones, cum de illis sermo erit, dabimus.

CAPUT II.

De Discrimine inter gratiam hominis innocentis, et hominis lapsi.

§. 10. *Animad.* Gratia Adae concessa, gratia *sanitatis* vocatur, quia tunc humana natura integra erat, atque sana, neque ullo morbo, aut malo affecta; contra vero gratia quae homini post Adae lapsum conceditur, gratia *medicinalis* dicitur, quia est veluti quaedam medicina, curandis animae infirmitatibus, ob originale peccatum susceptis, a Domino concessa. Unde et inter hanc, et illam discrimen quoddam esse, nemo non videt (1). At quodnam est discrimen istud?

Variae sunt Eruditorum sententiae.

§. 11. Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, et Jansenius in hoc consistere dicunt discrimen inter gratiam homini innocenti collatam, et eam, quae homini lapso donatur, quod illi homo poterat dissentire, huic vero non potest; ita ut ea posita, hominem operari necesse est. Theologi Catholici hanc sententiam detestantur, sed in tali discrimine adsignando,

---

(1) Consulantur S. Augustinus Lib. De corrept. et gratia Cap. XI.

inter se non conveniunt, et unusquisque, salva fide in suo sensu abbundat. Nos brevitatis gratia, omissis tricis, quae necessaria sunt, paucis exponemus.

PROPOSITIO I.

Discrimen inter gratiam homini innocenti collatam, et illam, quæ homini lapso confertur, non est in hoc, quod illi Adam dissentire poterat, huic nos cogimur assentiri.

§. 12. Prob. Hominis culpa, etsi maximum ejus arbitrio vulnus inflixit, illud tamen accepto vulnere, infirmum, ac sauciatum evasit, non autem extinctum fuit, ac omnino deperditum (§. 573. T. III.); ergo potest tam assentiri, quam dissentiri gratiae; Adeoque etc. Deinde in Sacris literis laude dignus censetur homo ille, qui mala non fecit, et Dei legem non est trangressus; Quare? Quia forsan gratia Dei obstrictus fuit ad faciendum bonum, et Dei legem observandam? minime quidem: sed quia *potuit transgredi, et non est trangressus: facere mala, et non fecit*; Ergo tam in statu innocentiae poterat homo gratiæ resistere, quam nunc potest in statu naturae lapsae; Adeoque etc. Hinc jure Tridentina Synodus (Sess. V. Can. IV.) hunc edidit Canonem: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se diponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

Argumenta opposita solvuntur.

§. 13. *Objic.* Gratia quæ homini datur in hoc praesenti statu naturæ lapsæ, talis est ut ei voluntas non valeat dissentire; In hoc ergo consistit discrimen etc. Prob: antec: Apostolus ad Corinthios scribens (cap.: XII.): ait: *Deus operatur omnia in omnibus;* Atqui Deo operanti nemo potest dissentire: Ergo etc.

§. 14. R. dist: sensum auct: Operatur etc: cum consensu, et libera cooperatione humanæ voluntatis, conc:, vim inferendo voluntati, n. maj; et dist: min; Atqui etc: quando Deus absolute per se operatur, excludens omnem cooperationem agentis creati, conc:, quando operatur, sed in operatione vult etiam cooperationem agentis creati, n. min, et consm. Deus utique ipse est, qui operatur omnia in omnibus, quia sine ejus operatione, nihil potest homo per seipsum, et solis viribus naturæ efficere, quod sit æternæ vitæ meritorium; at non ita operatur ut vim faciat voluntati humanae. Nota quippe sunt verba Redemptoris nostri (Matth: XIX. v. 17.): *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*; *Si quis vult post me venire abneget semetipsum* (Lucæ Cap. IX. v. 23.); quibus non cogit, sed invitat; non infert vim voluntati, sed eam dulciter, atque suaviter allicit ad consensum. Quare cum Deus operatur absolute, nullus est qui ei operanti resistere potest; at cum ipse operatur, et in operando cooperationem requirit ipsius creaturæ agentis, tunc ista non cooperante, operationi Dei dissentitur. Adeoque etc.

§. 15. *Contra.* Atqui ita Deus operatur omnia in omnibus, ut ei voluntas humana nequeat dissentire; Ergo n. r. Res ita se habet si ipsum hominis velle a Dei gratia est. Atqui ex laudato Apostolo ad Philippenses (Cap: II. v. 13.): *Deus operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate sua*; Ergo etc.

§. 16. R. dist: maj: quatenus sine gratia Dei

velle non possumus quæ ad consequendam vitam æternam necessaria sunt, conc:, quatenus fiat vis voluntati, ut consentiat, nego maj; et dist: min: Atqui etc:, et his verbis moneumr velle operari, et perficere opus bonum æternæ vitæ meritorium, esse a Deo cum consensu nostræ voluntatis, conc:, secus, nego min:; Ergo etc: n. consm. Ubi agitur de operibus meritoriis pro æterna vita consequenda, ipsa in principio, in progressu, et in fine sunt a Deo, qui misericorditer dat nobis velle, et operari, et perficere, itaut sine Deo a nobis, ut a nobis aliquid cogitari ne quidem possit; et Deus semper cum consensu humanæ Voluntatis operatur; qui consensus si desit, opus certe nostrum nullius erit meriti apud Deum. Ad rem S. Augustinus (de Lib: arbit: Cap: 9.): « Non » enim quia dixit: *Deus operatur in nobis velle et » perficere*, ideo liberum arbitrium abstulisse putan» dum est. Quod si ita esset, non dixisset superius: » *Cum timore, et tremore vestram salutem operamini.*

§. 17. *Contra.* Atqui omnia ita sunt a Deo, ut voluntas nequeat contraire; Ergo n. r. Prob: subsm. Si voluntas humana posset contraire gratiæ Dei, posset etiam divinæ voluntati resistere; Atqui nemo potest Divinæ resistere voluntati juxta illud Esther (cap: XIII. v. 9.): *Non est qui possit suæ resistere voluntati*; Ergo etc.

§. 18. R. dist: maj: divinæ voluntati absolutæ, efficaci, et consequente: n. maj; divinae voluntati antecedenti, conditionatæ, et inefficaci, conc: maj:, et dist: min: Atqui etc: dist: min; resistere Dei voluntati conditionatæ, inefficaci etc, nego:; absolutæ et consequenti, conc: min; Ergo etc: n. consm. Cum Deus Optimus vult aliquid absolute fieri, id proculdubio fit, nec est qui possit suæ resistere voluntati. Quid namque sunt omnes Reges Terrae, et potentes in saeculo, et quotquot sunt habitatores Orbis coram ipso? tamquam nihilum, et ut folium quod

vento rapitur, aut fumus, quod flante spiritu dispergitur. At quando vult ipse aliquid fieri quidem, sed cum consortio voluntatis humanæ, tunc ejus voluntati a voluntate humana resisti potest, atque reapse resistitur: Hinc conqueritur Christus Dominus de Jerusalem dicens (Matt. Cap: XXIII. v. 27.): *Jerusalem Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: et noluisti?* Ergo etc.

§. 19. *Objic*: 2. Per Ezechielem Prophetam (Cap: 36. v. 26.): ait dominus: *Anferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum;* Atqui his verbis satis ostendit, se gratiam homini daturum, cui voluntas humana, per cor carneum figurata, non resistet; Ergo etc.

§. 20. R. admitt: auctoritatem; n. min. cum consa. Laudatis verbis nihil aliud ostendi potest, quam Deum promisisse, gratia sua effecturum, ut homines non essent amplius corde duri, et auribus incircumcisi, ut Spiritui Sancto resisterent, sed Deo vocanti per mandatorum observantiam responderent, non vero quod vim faceret voluntati, ut illa ineluctabiliter cogatur ad assensum.

§. 21. *Contra.* Atqui talem gratiam Dominus se daturum promittit, cui humana voluntas resistere nequit; Ergo n. r. Prob: subsm. Statim post laudata verba ita sequitur Dominus: *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea costodiatis, et operamini.* Quibus positis, en argumentum: Deus spiritu suo, hoc est gratia sua, efficit, ut observemus suæ legis præcepta, custodiamus mandata, et operemur. Atqui hoc non esset, si voluntas illius gratiæ posset resistere; Ergo etc.

§. 22. R. dist: maj: Deus etc; accedente tamen humanæ voluntatis consensu, conc: secus, n. maj:, min, et consm. Sæpius dictum est, atque re-

petitum, opera omnia nostra aeternae vitae meritoria esse a Deo, qui vires nobis praebet, quaeis illa faciamus. Hoc autem semper intelligendum cum cooperatione nostra, et nostrae voluntatis consensu, alias praedicta opera, non possent nobis merito tribui; neque ullam mercedem ex illis nobis foret expectanda, quia nulli merces, nisi praemisso proprio labore operis. Itaque si laudato in loco dicitur, Deum gratia sua efficere, ut bona operemur, non ideo id dicitur quia gratiae humana voluntas nequit repugnare; sed quia sine Dei gratia non possumus aliquid efficere, quod sit aeternae vitae meritorium.

§. 23. *Contra.* Atqui spiritu suo, et gratia, ita efficit Deus ut operemur, ut humana voluntas resistere non valeat; Ergo n. r. Prob: subsm. Agi a Spiritu Dei in operando est ita operari, ut voluntas humana non valeat contradicere: *Spiritus enim ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis quo veniat, aut quo vadat* (Joan: III. v. 8.); Sed Filii Dei, Spiritu Dei aguntur; (Rom: VIII.) Ergo etc.

§. 24. R. dist: min: Sed etc: spiritu Dei aguntur, hoc est, spiritu Dei, et non proprio diriguntur, voluntarie anteponentes Spiritum Dei, spiritui proprio privato, conc:; Spiritu Dei aguntur, itaut non sint ipsi qui agant, sed potius agantur per vim, et sine voluntatis consensu, nego min: et consm. Agi Spiritu Dei nihil aliud est, quam duci a Spiritu Sancto, in quantum illuminat nos interius quid facere debeamus. Non tamen per hoc excluditur, ait S. Thomas (in hunc loc:), quin viri spirituales per voluntatem, et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat. Sed clarius rem conficit S. Augustinus (Serm. 13. de Verb: Apost:), dicens: « dicit mihi aliquis: » Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo et agis et ageris. Et tunc bene agis, si a bono ageris. Spiritus namque Dei, qui te agit, agentibus

» adjutor est. Ipsum nomen adjutoris praescribit tibi » quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas, » agnosce quid confitearis, quando dicis: *Adjutor » meus esto, ne derelinquas me.* Adjutorem utique » invocas Deum. Nemo adjuvatur si ab illo nihil » agatur »: Haec Augustinus, haec nos. Adeoque patet etc.

PROPOSITIO II.

In eo Gratia hominis innocentis ab illa hominis lapsi differre videtur, quod hæc abbundantior sit, potentior, et magis determinativa voluntatis ad bene agendum, Deumque caste diligendum; in qua ut perseveret homo eget iterata, eademque voluntati impressa Christi gratia, qua adhæreat Deo; Adam vero innocens talem non habuit gratiam, neque hujusmodi tam valido indigebat adjutorio ad perseverandum in bono.

§. 25. Prob. Nam 1. Gratia homini lapso concessa est abbundantior; et sane ait Christus Dominus (Joann. Cap. X. v. 10.): *Ego veni ut vitam habeant, et abbundantius habeant.* Et Apostolus ad Romanos scribens inquit (Cap. V. v. 9.): *Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum;* et ibidem (V. 20.): *Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia.* II. Gratia ista est potentior. Nam quo debilior est homo, et major difficultas ad bonum agendum in ordine ad salutem, tanto potentior est gratia, qua adjutus bonum illud operatur; Jam vero homo lapsus, Adæ culpa sauciatus, debilior est effectus, et difficultatem magnam experitur ad bonum agendum; Ergo potentior gratia illi concessa fuit. Audiatur S. Augustinus (1): « Adam habuit Dei

(1) Lib. de Corrept. et gratia Cap. XI.

» gratiam magnam, sed disparem. Ille in bonis » erat, quae bonitate sui conditoris acceperat . . » . . . Sancti vero in hac vita ad quos pertinet li- » berationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus » clamant ad Deum: *Libera nos a malo.* Ille in il- » lis bonis Christi morte non eguit, istos a reatu et » haereditario et proprio illius Agni sanguis absol- » vit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod im- » plorant isti cum dicunt: *Video aliam legem in* » *membris meis repugnantem legi mentis meae, et* » *captivantem me in lege peccati, quae est in mem-* » *bris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit* » *de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum* » *Christum Dominum nostrum*: quoniam in eis caro « concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus » carnem, atque in tali certamine laborantes ac pe- » riclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique vir- » tutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla » tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus, atque » turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace » fruebatur. Proinde etsi non interim laetiore, nunc » verumtamen potentiore gratia indigent isti, etc. III. » Gratia ista est magis determinativa ad bene agen- » dum etc. Ita citatus Augustinus (1): » subventum » est, inquit, infirmitati voluntatis humanae ut di- » vina gratia indeclinabiliter, (2) ageretur: et ideo

---

(1) Eodem in Lib. Cap. XII.

(2) Cave ne credas verbis his indeclinabiliter, insuperabiliter velle S. Doctorem asserere voluntatem humanam non posse dissentire motioni gratiae; sed hoc solum, quod talis gratia numquam declinatur, aut superatur, nec voluntas ei dissentit; ea enim fit, ait citatus Doctor (Ibid Cap. XI.), ut homo velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.

» quamvis infirma non deficeret, neque adversitate » aliqua vinceretur. Ita factum est ut voluntas hominis invalida, et imbecillis in bono adhuc parvo, » perseveraret per voluntatem Dei: cum et voluntas » primi hominis fortis, et sana in bono ampliore » non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii; » quamvis non de futuro judicio Dei, sine quo non » posset perseverare si vellet; non tamen tali, quo » in illo Deus operaretur ut vellet: Fortissimum quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet; infirmos servavit, ut ipso donante, invictissime nollent ». IV. Homo in statu naturae lapsae indiget eadem Christi gratia, illiusque repetita impressione ut voluntas ejus in casta Dei dilectione perseveret. Nam ex Concilio Arausicano (Canone X.): *Adjutorium Dei etiam renatis, ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint perdurare*; et ex Tridentino (Sess. VI. Can. 22.); *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*. V. Adam talem gratiam non habuit; neque ea indigebat ad perseverandum in bono. Etenim, ut ait S. Augustinus (De Corrept. et gratia Cap. XII.). « Ut non acciperet hoc donum Dei, idest in bono perseverantiam » primus homo, sed perseverare vel non perseverare » in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat » ejus voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipso concupiscibiliter resistebat, ut digne tantae bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium »; Ergo etc.

CAPUT III.

De existentia gratiæ interioris.

§. 26. *Animad*: Gratia supernaturalis alia dicitur *exterior*, alia *interior*.

§. 27. *Def.* 1. *Gratia exterior est donum, quod ab extrinseco homini conceditur a Deo, et ad ejus salutem consequendam conducit*: Sic Evangelli praedicatio, bonorum exempla, miracula, etc. gratiae Dei dicuntur (1).

§. 28. *Def.* 2. *Gratia vero interior est Dei donum, quod interne afficit illum, cui conceditur*: Ita sunt Fides, Spes, Charitas, Intellectus illustrationes, voluntatis inspirationes, terrores, delectationes, et cætera hujusmodi, quibus Deus interne nos afficit ut malum fugiamus, bonum faciamus, eique summo bono adhæreamus. Et de hac gratia in praesenti agimus, quae duplex est, alia nempe *gratis data*, alia *gratum faciens*.

§. 29. *Def.* 3. *Nomine gratiæ gratis datæ veniunt omnia illa dona et beneficia, quæ Deus alicui confert, primo et per se ad aliorum salutem procurandam.* Hujus gratiae novem species a Paulo Apostolo ad Corinthios (2) enumerantur; nempe 1. *Sermo Sapientiae*; 2. *Sermo Scientiæ*; 3. *Fides*; 4. *Gratia sanitatum*; 5. *Operatio virtutum*; 6. *Prophetia*; 7. *Discretio spirituum*; 8. *Genera linguarum*, *et* 9. *Interpetratio sermonum*. Omnis gratia est gratis data; ideo autem specialiter haec gratis data dicitur, quia cum respiciat aliorum et non proprium bonum, monet Christus, ut sicuti hanc gratiam gratis accipimus, gratis quoque aliis eam donemus. Ait siquidem (Cap. X. v. 8.) *Gratis accepistis gratis date.*

---

(1) Vid. S. Augustinus Libro de Gratia Cap. X.
(2) Epist. I. Cap. XII. v. 8. et seq.

§. 30. *Def.* 4. *Gratia vero gratum faciens est Dei donum supernaturale homini gratis concessum, potissime ad propriam ipsius salutem spiritualem consequendam.* Hæc itaque gratia eo principaliter tendit, ut homo perfecte Deo adhaereat, eique gratus, et acceptus reddatur; et duplex est *habitualis*, atque *actualis*.

§. 31. *Def.* 5. *Gratia habitualis* seu *sanctificans est Dei donum supernaturale, per modum habitus animæ inhærens, quo homo redditur formaliter* justus. Haec gratia hominem justificat, et reddit Deo acceptum; atque insuper initium est omnis boni operis aeternae vitae meritorii.

§. 32. *Def.* 6. *Gratia vero actualis est Dei donum supernaturale, quod per modum actus, sive actionis transeuntis homini conceditur, ordinate ad actiones, quæ vires naturae superant, exercendas.* Atque triplex distinguitur; scilicet 1. *Operans*, 2. *Adjuvans*; et 3. *subsequens.*

§. 33. *Def.* 7. Gratia *operans*, alias *praeveniens*, et *excitans*, est ea, per quam Deus in nobis sine nobis operatur, præveniens nostrae voluntatis assensum; atque nos excitans ad bona opera facienda. De hac ajebat David (Psal. 58. v. 11.): *Misericordia ejus praeveniet me.*

§. 34. *Def.* 8. *Gratia adjuvans, quæ dicitur quoque cooperans, et concomitans, est illa, qua nostra voluntas roborata, praevenienti gratiæ, libere assentitur* (1). Pro hac, et antecedenti gratia orat Ecclesia dicens: *Actiones nostras quaesumus Domine aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat et per te cæpta finiatur.*

---

(1) Vid. Augustinus Lib. II. praesertim de peccatorum meritis, et remissione. Trident. Synodus Sess. VI. Cap. VI.

§. 35. *Def.* 9. *Gratia* tandem *subsequens est illa, quae voluntatem hominum in bono incoepto confirmat; necnon adjuvat ut opus bonum ad finem perducat;* vel ut ait Augustinus (Enchiridii Cap. XXXII.), volentem subsequitur ne frustra velit. Pro hac gratia orabat David dicens Deo (Psal. 22. v. 6.): *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.*

§. 36. *Schol*: Has porro gratias per Jesum Christum existere, atque hominibus elagiri, Catholicorum omnium una vox est, atque doctrina in Sacris Scripturis, Conciliis, Sanctorumque Patrum traditione fundata, non ita vero aliorum, unde.

Variæ Auctorum circumferuntur sententiæ.

§. 37. Putant nonnulli posse hominem, suis solis naturae viribus, obtinere ut sit absque peccato, inter quos accensentur Ammonius, Eusebius, Euthimius, aliique. Theodorus Mopsuestenus Antistes adeo naturae vires exaltavit, ut cum eis quamlibet dignitatem supernaturalem sibi comparare posse asseruit. Pelagiani, gratiam interam ad opera aeternae vitae meritoria peragenda necessariam non esse effutierunt. Mitiores his fuerunt semi-Pelagiani, dicentes, gratiam necessariam quidem esse ad bona opera aeternae vitae meritoriae facienda, ad eorum progressum, et perfectionem, sed initium salutis, fidem nempe, atque bonam voluntatem bonum operandi esse a nobis viribus naturae, affirmabant (1). E contra vero Joannes Hus, et Wiclefus adeo gratiam ad opera bona facienda necessariam dicebant, ut quidquid sine ea fieret, peccatum esset; unde per ipsos omnia peccatorum opera sunt peccata, quinimo ipsa justorum

(1) Vid. Gener Tomo V. Parte III. Tract. I. Lib. II. Cap. I.

opera peccata sunt, quoniam sunt, vitiata a concupiscentia. Hos sequuti sunt Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, et Kemnitius, qui insuper addiderunt, liberum arbitrium, nonnisi ad peccandum valere: omnia proinde Infidelium opera esse peccata, et ipsas Philosophorum virtutes vitia. Neque ab his distat Cornelius Jansenius, qui in praesenti statu naturae lapsae, sine Fide, nullum opus moraliter bonum fieri posse defendit; Unde ipsius sententia, infideles in omnibus operibus suis peccant, et quidem stricte, et rigorose. Idipsum alii tenuere. Nos quae in hac tam difficili materia, catholice tenenda sunt, distinctis Capitibus, dilucide exponemus, et demostrabimus. Interim sit hic

PROPOSITIO

Præter liberum arbitrium, et gratias exteriores, admittenda est in statu naturae lapsæ Gratia interior per merita Jesu Christi.

§. 38. Prob. 1. p. ex Scriptura, Per Ezechielem ait Dominus (Cap. XXXVI. v. 26.): *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri.* Sed clarius Apostolus ad Thessalonicenses scribens (Epist. I. Cap. I. v. 5.) thesim hanc statuit; ait siquidem: *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa.* Quibus verbis, ut patet, distinguit Paulus gratiam exteriorem, praedicationem nempe Evangelii in sermone, et gratiam interiorem in Spiritu Sancto. Ergo etc.

§. 39. Prob. 2. eadem pars ex Concilio Tridentino, ubi legitur (Sess. VI. Cap. III.): *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicuti oportet, ut ei ju-*

stificationis gratia conferatur, anathema sit. Ex quibus sic: Deus vult omnes homines salvos fieri (§. 190. T. III.); unde et media necessaria omnibus paravit ad salutem consequendam (§. 249. ib.); Atqui Fides, Spes. Charitas, atque peccatorum pœnitentia sunt necessaria media ad salutem; Ergo ea homo habere debet; Atqui sine gratia non habet; Ergo datur gratia interior etc.

§ 40. Prob. II. pars; quod nempe gratia haec interior per merita Jesu Christi concedatur. Apostolus ad Philippenses scribens, ait (Cap. I. v. 29.): *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro ipso patiamini;* et ad Timotheum (Epist. II. Cap. I. v. 9.): *Nos liberavit, et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu.* Hinc Ecclesia divinitus edocta, quidquid orando petit, semper per Jesum Christum petit. Ergo etc. Jure, meritoque propterea Tridentina Synodus statuit (Sess. VI. Can. I.): *Si quis dixerit, hominem suis operibus . . . absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.*

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 41. *Objic.* 1. Si præter gratiam exteriorem admittenda etiam foret gratia interior, jam arbitrium non esset liberum; Sed hoc est absurdum; Ergo etc.

§. 42. R. dist: maj: si gratia illa esset physice præmovens, aut ab intrinseco efficax, transeat nunc. Si gratia illa sit moraliter alliciens; n. maj:, et in eodem sensu dist: min:, n. consm. Gratia interior, de qua hic loquimur, allicit quidem, sed non cogit voluntatem, confirmat potius, quam tollit libertatem, eamque adjuvat potius, quam infirmat. « Sicut enim: » Lex, scribebat S. Augustinus (Lib: de Spiritu

» et Litt.: Cap: 20.) » Sicut enim Lex per fi-
» dem, sic liberum arbitrium per gratiam non eva-
» cuatur, sed stabilitur; quia gratia sanat volun-
» tatem, qua justitia libere diligatur ». Et Cap:
37. « Cum potestas datur, non necessitas utique
» imponitur; dicente Jesu (Joann. Cap. 8.): *Si*
» *vos filius liberaverit, nonne liberi eritis?*

§. 43. *Contra.* Atqui admissa quacumque gratia interiore, arbitrium liberum non est; Ergo n. r. Prob: subsm: Admissa necessitate gratiae interioris, quaecumque gratia illa sit, arbitrium sine illa operari non posset. Sed qui ita operatur, ut indigeat alterius ope plane gratuita, ut operetur, is non habet in sua potestate vel operari, vel non operari. Ergo etc.

§. 44. R. admissa maj:, dist: min: Sed qui etc. Si is, qui opitulatur præsto non sit cum auxilio suo, conc:; si promptus sit, nego min:, et consm. Cum Deus cognoscat figmentum nostrum, profecto non solum impossibilia non jubet, sed cum aliquid jubet, vires quoque prompte subministrat, quibus illud adimplere possimus. Licet ergo gratia Dei homo egeat ad opus bonum faciendum, adhuc habet in sua potestate vel operari, vel non operari; uno verbo, adhuc liber est in opere suo.

§. 45. *Contra.* Atqui licet Deus, qui opitulatur præsto sit auxilio suo, adhuc arbitrium, admissa gratia, non esset liberum; Ergo n. r. Prob: subsm. Licet arbitrium liberum esset, ut in responsione asseritur, liberum tamen esset cum dependentia a gratia; Sed hæc servitus, non libertas dici potest; Ergo etc.

§. 46. R. dist: maj: Esset etc: cum dependentia a gratia tum remote, cum proxime, conc:; etiam remote liberum foret cum dependentia a gratia, nego maj:, min:, et consm. Revera Arbitrium in se nude inspectum, nullum jus habet, nullamque li-

bertatem in Dei gratiam, cum haec sit Dei donum gratuitum; atque hinc independenter a gratia, non est proxime liberum ad opus supernaturale exercendum; proxime liberum tunc habet, cum per adjutorium Dei proportionatur effectui producendo. Adeoque etc.

§. 47. *Objic:* 2. Si admittenda esset gratia interior snpernaturalis, maxime ad attingenda opera supernaturalia; Atqui hac de caussa admittenda non est; Ergo falsa Thesis. Prob. min. Homo, solis naturae viribus, potest attingere supernaturalia, sibi sufficienter proposita; Ergo etc. Prob: ans. Supernaturalia sunt intra lineam objecti vel nostri intellectus, vel voluntatis nostrae; Ergo etc.

§. 48. R. dist: ans. Sunt intra lineam attingentiae pro hoc statu, nego ans. Sunt intra lineam objecti capacitatis nostri intellectus, conc: ans, et n. consm. Quoniam objectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc praesenti statu est omne ens intelligibile per conversionem ad phantasmata, et per species a sensibus excerptas, hinc in praesenti statu supernaturalia non sunt intra lineam objecti naturalis attingentiae, bene vero capacitatis nostri intellectus, quoniam hic supernaturali Dei beneficio adjutus, jam de facto ad supernaturalia devenit.

§. 49. *Contra.* Atqui supernaturalia sunt intra lineam objecti, nedum capacitatis, verum etiam attingentiae nostri intellectus; Ergo n. r. Prob. subsm. Haeretici naturali attingentia credunt aliqua Fidei mysteria supernaturalia, veluti Trinitatem etc: Ergo etc.

§. 50. R. dist: ans. Haeretici, fide humana, et adquisita, conc:; fide supernaturali, et infusa, nego ans; Ergo etc:, n. consm. Haereticus quisque, cum ob errorem intellectus, et pertinaciam voluntatis circa aliquem fidei articulum ab Ecclesia sufficienter propositum, in infidelium numerum referatur; is certe

si aliquod aliud fidei Mysterium credere videatur, illud non fide supernaturali et infusa credere dicendum est, sed fide humana, atque adquisita. Quare nihil valet contra nos adductum argumentum.

§. 51. *Contra*. Ex concessis. Haeretici fide humana credunt aliqua mysteria supernaturalia; Ergo ex concedendis, attingunt naturaliter supernaturalia. Prob ans. Licet Haeretici fide tantum humana credant, credunt tamen supernaturalia mysteria; Ergo semper verum est, eos attingere supernaturalia mysteria.

§. 52. R. dist. cons.; Ergo semper etc:, aliquo modo, conc:, ut oportet, n. consm. Cum dicimus, ultra gratiam externam, admittendam esse gratiam interiorem ad supernaturalia munia obeunda, hoc non intelligimus ita, ut existimemus, illam, v. g. nullo modo attingere posse verum naturale viribus suis, sed tantummodo id non posse modo perfecto. Sit exemplum de Fide: credere perfecto modo, et uti oportet est credere fide certa ex parte revelantis, certa ex parte proponentis revelata. Et quia solus Deus sine dolo revelat, atque revelata proponit; ideo sola Dei gratia potest homo credere. Si vero loquamur de Fide, quae certa est solummodo, vel ex privato haereticorum spiritu, qui contraria revelat; vel ex Scriptura, quae praecise sumpta est littera occidens; utique id possumus naturaliter credere. At nos de hujusmodi naturalibus objectis non loquimur, cum dicimus, pro supernaturalibus necessariam esse Dei gratiam interiorem; proindeque ipsam absolute admittendam esse.

CAPUT IV.

De gratiæ necessitate ad verum cognoscendum.

§. 53. *Animad.* 1. Nomine gratiæ hic intelligimus gratiam actualem (§. 32.). Notum quippe est, Philosophos Gentiles, Hæreticos, incredulos, ac peccatores, gratia habituali destitutus scientiis naturalibus fuisse, ac modo esse, mirabiliter excultos.

§. 54. *Def.* 1. *Necessarium hic dicitur id, sine quo aliquid esse nequit.* Hoc pacto lux necessaria dicitur ad dignoscenda objecta. Porro necessarium duplex distinguitur, *absolutum* nempe, et *relativum.*

§. 55. *Def.* 2. *Necessarium absolutum dicitur illud, sine quo aliquid, absolute esse non posset;* ita ad videndum absolute necessarii dicuntur oculi, lumine illustrati.

§. 56. *Def.* 3. *Necessarium relativum est illud, quod est tale relate ad finem, quem sibi quisque proponit in agendo, et ad media pro finis illius consequutione.* Ita ensem necessarium dicimus militi volenti ad bellandum contra hostes procedere. Et ita etiam necessariam hic dicimus gratiam, relative nempe tum ad vitam æternam tamquam finem; tum ad omne opus bonum, tanquam medium ad vitam æternam consequendam. Et hoc necessarium, itidem duplex est, *simplex* nempe, et *secundum quid*, ut dicitur.

§. 57. *Def.* 4. *Necessarium simplex illud dicitur, sine quo finis obtineri simpliciter non potest.* Hoc sensu alimenta simpliciter necessaria dicuntur ad vitam conservandam.

§. 58. *Def.* 5. *Necessarium secundum quid est illud, quod tale est ad rem facilius obtinendam.* Hoc pacto equus dicitur necessarius ad iter faciendum.

§. 59. *Animad*: 2. Verum duplicis est generis, *naturale* scilicet, atque *supernaturale*; atque

utrumque vel est mere *speculativum*, vel *practicum*.

§. 60. *Def.* 6. *Verum naturale illud dicitur, quod intra naturæ limites continetur; et cujus notitia humanæ capacitatis limites non excedit.* Tales sunt veritates Philosophicae.

§. 61. *Def.* 7. *Verum supernaturale illud est, quod ordinem naturae, viresque humani intellectus excedit*; uti sunt mysteria omnia fidei Christianæ.

§. 62. *Def.* 8. *Verum speculativum est illud, quod menti proponitur, solummodo ut cognoscatur, at nihil ad actionis moralis exercitium conducit*: veluti: *Homo existit*, *Deus est omnipotens.*

§. 63. *Def.* 9. *Verum praticum est illud, quod ita menti proponitur cognoscendum, ut ad usum quoque et praxim revocetur.* Ita sunt effata illa: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*: *diliges dominum Deum tuum. Parentes honorandi sunt* etc.

§. 64. *Animad.* 3. Verum naturale, sive speculativum, sive practicum duobus modis accipi potest, et a nobis cognosci, aut nempe *collective*; hoc est pro complexu omnium simul veritatum; aut *distributive*: scilicet de aliquibus tantum veritatibus seorsim spectatis.

§. 65. *Animad.* 4. Quoad vero potentiam, vel impotentiam verum cognoscedi, duplex est distinguenda *physica* nempe, et *moralis*.

§. 66. *Def.* 10. *Potentia physica est illa, quæ in eo reperitur, cujus activa virtus proportionata est operi faciendo.* Hanc habet homo robustus et sanus ad longum iter faciendum.

§. 67. *Def.* 11. *Potentia moralis illa dicitur, qua pollet is, cujus activa virtus, non solum operi faciendo proportionata est, sed etiam expedita nullisque implicata difficultatibus, saltem qua graves sint.* Itaque moralem quoque potentiam longioris itineris habet homo vegetus et perferendis laboribus assuetus. His ad intelligentiam dicendorum motalis, sit

PROPOSITIO I.

Homo sine speciali Dei auxilio, atque gratia interiore, veritates practicas morales superioris ordinis cognoscere nequit.

§. 68. Probat. 1. Sine gratia non possumus cognoscere, quod intellectus in puris naturalibus relictus non solum non manifestat, sed manifestat oppositum; Atqui intellectus ita relictus non solum non manifestat veritates practicas superioris Ordinis, quæ hominem Christianum faciunt, sed manifestat oppositum; Ergo etct: Prob: min: Intellectus sibi relictus non manifestat, nisi quod est in Mundo: at *Omne, quod est in Mundo*, ait S. Joannes (Epist: 1. C. v. 2.) *concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitae*; Hæc ergo manifestat intellectus, nempe concupiscentiam carnis, qua corporeas voluptates, sensibiles, ac sensuales, et reliqua ad corpus spectantia concupiscimus; concupiscentiam oculorum, qua bona terrena, et temporalia desideramus, et superbiam vitæ, qua ex praesumpta naturæ excellentia honores, dignitates, et reliqua ad nos in Mundo excellentes faciendos conducentia optamus. Haec sunt, quæ in mente nostra a nativitate observamus. Haec quae intellectus sibi relictus cogitat, atque cognoscit. Iam vero hæc sunt opposita veritatibus practicis, cum hujusmodi veritates non solum non monstrat sed monstat oppositum. Quare nisi adveniet gratia quae intellectum illustrando, et voluntati pium affectum in Deum inspirando animæ ostendat, quod corporeæ voluptates, bona terrena, honores et dignitates, non sunt vera bona, sed vanitates, et quod sola voluptas cælestis est vera voluptas, quod sola bona Cælestia sunt vera bona, et quod verus honor, et dignitas vera ex solo Dei servitio haberi potest, qui

solus vere est excellens, et cui debetur omnis alia excellentia, nisi, inquam, adveniat gratia, quae has veritates nobis ostendat, eas neque cognoscimus, neque cognoscere possumus. Nam veritates hujusmodi relationem semper habent ad veritates Fidei; sic paupertas Ex: gratia, ideo monstrat vana, et spernenda bona terrena, quia simul monstrat constantia et æximanda bona cælestia. At ad cognoscendas Fidei veritates cum firmo ad sensu, propter Divinam revelationem, necessaria est gratia, ut infra contra Pelagianos demonstrabimus; Ergo etc.

§. 69. Prob: 2. Laudatæ veritates sunt improportionatae intellectui sive consideretur ejus potentia moralis, sive potentia physica. Et sane potentia moralis (§. 67.) intellectus est carentia impedimentorum quæ obstare possunt, ne intellectus veritatem cognoscat; atqui adsunt impedimenta, quae obstant ne intellectus laudatas veritates agnoscat: et quaenam sunt? concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. (§. 68.): Hæc enim applicant intellectum ad cognoscenda carnalia, terrena, et mundana, quæ cum vivide intellectui repræsententur, et ex continua apprehensione hujusmodi vivacitas ab intellectu augeatur; fit inde, ut oculus interior, quo intellectus laudatas veritates videre posset, obnubilatus, et obcœcatus evadat. Ergo intellectus ad eas videndas moraliter impotens est. Sed impotens etiam est impotentia physica: nam potentia physica intellectus est ejusmodi naturalis virtus, qua cognoscere potest sibi proportionata: at laudatæ veritates sunt intellectui improportionatae, quia semper referuntur ad Deum, quatenus est auctor gratiæ, et gloriae, quod nonnisi per gratiam cognosci potest, non enim sunt veritates practicæ morales hominem Christianum facientes illæ, in quibus Deus non respicitur, et quae ad Deum non referunt; sic in hypothesi, quod quis cognosceret spernenda bona terretra propter incommoda inde

equentia, vel propter alium terrenum finem; non idcirco cognosceret veritatem de qua loquimur. Ergo etc.

Satisfit Objectis.

§. 70. *Objic*: Naturaliter cognoscere possumus quidquid in Natura fundatur, sed laudatæ veritates morales in natura fundantur; Ergo etc.

§. 71. R. dist: maj: in natura cognoscitiva intellectus, conc. maj: secus n. maj:, et e contrario distincta min:, nego consm.

§. 72. *Contra*. Atqui fundantur in natura cognoscitiva intellectus; Ergo etc. Prob. subsm. Sunt proportionatae intellectui et de facto Philosophi Gentiles nonnullas hujusmodi veritates cognoverunt, cum eorum aliqui bona terrena supreverint; Ergo etc.

§. 73. R. neg. antec: vide §. 69.

PROPOSITIO II.

Sine gratia possumus potentia physica cognoscere omnes veritates Ordinis naturalis tam Speculativas, quam practicas, sive morales, sive naturales.

§. 74. Prob. Potentia Physica intellectus est ejusdem naturalis virtus, qua potest cognoscere ea omnia, quae ejus naturali virtuti sunt proportionata; at vero omnes Veritates ordinis naturalis cujuscumque generis sint, sive speculativæ naturales, ut prima scientiarum principia, sive naturales practicæ, ut regulae artium, sive speculativae morales ut universalia morum principia legem naturalem constituentia, sive morales practicæ ut universalia morum principia ad actiones hic, et nunc eliciendas, vel non eliciendas per conscientiam applicata; hac inquam omnes veritates proportionatae sunt intellectui, ejusque naturalem virtutem non excedunt, cum in illis nihil observetur quod supernaturale sit; siquidem de rebus ex-

ternis intellectus sua naturali virtute, occasione sensuum, ideas efformare potest, et in ideis veritatem contemplari: res vero morales, per legem naturalem in hominum corde inscriptam, per conscientiam cognoscere potest. Quare intellectus absque gratiae auxilio potest potentia physica in horum omnium veritatum cognitionem pervenire. Nam gratia est necessaria tantum ad cognoscendum id quod naturalem intellectus virtutem excedit, ut sunt omnia supernaturalia, et quae ad supernaturalia necessariam relationem habent. De facto Ethnici Philosophi plures verites tam speculativas, quam practicas agnoverunt ut eorum scripta declarant. Atsi plures, profecto omnes potentia physica agnoscere potuerunt, cum non minus una, quam altera sit naturalis virtus, et ideo naturali virtuti intellectus proportionata. Quare etc.

PROPOSITIO III.

Potest homo sine speciali Dei gratia quasdam veritates naturales certo cognoscere.

§. 75. Prob. Nam (Sapientiæ Cap. XIII. v. 5.) legitur: *A magnitudine speciei, et creaturæ, cognoscribiliter poterit creator horum videri.* Quibus verbis duo ostendit Sapiens: primum, res creatas cognosci ab hominibus naturaliter posse: secundum, earum cognitionem ducere ad cognitionem auctoris earumdem.; Hinc Apostolus ad Romanos scribens (Cap. I. 20.), inexcusabiles dicit Philosophos gentiles, quoniam naturali ratione Deum auctorem naturae, ex rebus hujus Mundi aspectabilibus, agnoscentes, ei gloriam, ut oportebat, non dederunt, ait siquidem: *Invisibilia Dei a creatura Mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur . . ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Supponit itaque Pau-

lus, et pro certo habet, Pilosophos ipsos Ethnicos, gratia Dei carentes, multas veritates solo naturali lumine cognovisse, et quidem certe, alias inexcusabiles eos non vocasset quod Deum sic cognitum, ut Deum non glorificaverint. Ergo etc.

§. 76. Prob. 2. ratione. Experientia constat multos infideles nedum antiquos, sed etiam recentes, scientia rerum naturalium adeo donatos fuisse, ut admirationi fuerint, librosque conscripserint plenos scientia, et doctrina; et quidem sine speciali Dei auxilio; Et sane, ait S. Prosper. « Quis ambigat » hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitae » utilitatem ex natura a Deo condita superesse reli» qua? Si enim nec ad ista terrena ordinanda ra» tionalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, » sed extincta natura ». Ergo etc.

Adversariorum oppositiones refutantur.

§. 77. *Objic.* Doctrina S. Pauli est, aliorumque Sacrorum Scriptorum, saepius repetita, mentem hominis per culpam fuisse sauciatam, et ignorantiæ pœna mulctatam; Ergo nullam prorsus veritatem potest homo noscere, absque Dei speciali auxilio.

§. 78. R. Dist. ans. ignorantiae poena ita mulctatam, ut nullam penitus veritatem naturalem adquirere possit, nego ans; ut nequeat omnes noscere; vel eo modo noscere, quo primus homo eas agnoscebat, conc. ans; Ergo etc., n. consm. Inter alia bona quae Deus homini primaevo contulit, et illius uxori, dedit illis infusam rerum tum naturalium, cum supernaturalium scientiam: legitur quippe (Cap. XVII. v. 6.): *Disciplina intellectus replevit illos*: *creavit illis scientiam spiritus*, *sensu implevit cor illorum.* Hinc poterat Adam tali scientia praeditus, veritates omnes naturales, nedum cognoscere, sed cum mira promptitudine, atque facilitate. Porro haec scientia in ho-

mine per culpam laeso, et sauciato frustra quaeritur: Nam aliquae tantum veritates, easque nonnisi post longum tempus, et improbo labore adquirere potest. Et hoc sensu loquitur Paulus cum aliis Sacriptoribus, non vero denegat homini aliquas rerum naturalium cognitiones, absque speciali gratiae auxilio, uti patet ex probationibus (§. 75. 76.).

§. 79. *Contra*. Atqui S. Paulus aperte docet, nullam penitus veritatem naturalem, sine Dei speciali auxilio, posse hominem cognoscere; Ergo n. r. Prob. subsm. Paulus ad Corinthios scribens, ita (Epist. I. Cap. I. v. 4. 5.) inquit: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo, et in omni scientia;* Si ergo Paulus omnem scientiam attribuit gratiae Dei, profecto aperte docet, etc.

§. 80. R. Dist. ans. Et nomine omnis scientiae intelligit Paulus intelligentiam spiritualem Doctrinae Evangelii, quae conducebat ad aeternam salutem consequendam, concedo ans.; intelligit omnem prorsus scientiam, etiam rerum naturalium, n. ans, et cons. Paulum laudato in loco, non de omni scientia, et quacumque loqui, sed de illa quam per Evangelium adquisierant Corinthii in ordine ad vitam aeternam, satis compertum est, et Sacri Expositores clare demonstrant (1). Et sane: venerat ne Paulus erudire Conrinthios in Onthologia, in Physica, in Mathematica? Ad praeditationem ne Pauli omnes subito facti sunt Philosophi, Mathematici? Non equidem: et si quidem tales evasissent, non ideo sequeretur eos aliquas veritates, solo rationis lumine, et absque gratia cognoscere non potuisse, quippe, licet

(1) Vide S. Thomam, Cornelium a Lapide, aliosque in hunc locum.

gratia Dei possit quis subito fieri doctus, absque Dei gratia nihilominus, potest tempore, et labore aliquibus scientiis excultus videri. Venerat ergo D. Paulus erudire Corinthios Evangelium Jesu Christi, et quia eos in Evangelii sensu, et spirituali intelligentia versatos agnovit, cum id sine gratia fieri haud potuisse perspiceret, pro gratia, et tali beneficio Corinthiis collato, gratias Deo agit, non quod Corinthii in omni, et quacumque scientia divites facti fuerint.

§. 81. *Contra*. Atqui Paulus omnem, et quamcumque scientiam in homine a gratia repetit; Ergo n. r. Prob. subsm. Res ita se habet si Paulus, nedum omnem nostram cognitionem, sed et cogitationem nostrae mentis, imo sufficientiam ipsam ad aliquid cogitandum a Deo repetit; Atqui revera hoc facit Paulus; ad Corinthios namque rescribens (Epist. II. Cap. III. v. 5.) ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; Ergo etc.

§. 82. R. Apostolus laudato in loco non loquitur de cogitatione quacumque, sed de cogitatione sancta, quae fideles attrahit, atque ad virtutem sectandam allicit; atque hanc dicit esse a Deo. Audiatur S. Augustinus (De Bono Persever Cap. XIII.): » Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus: quod autem attinet » ad pietatis viam, et verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est ». Hoc autem et nos ipsi tuemur (1).

§. 83. *Objic*. 2. Apud Ecclesiasticum habetur (Cap: I. v. 1.): *Omnis sapientia a Domino Deo*

---

(1) Consul. Frassen Tract. III. Disp. I. art. I. q. I. Concl. I.

est : Ergo cognitio etiam veritatum naturalium est a Dei gratia. Adeoque falsa propositio.

§. 84. R. admitt : auctor :, dist : 1. cons : cognitio est Dei gratia late sumta (§. 3.), conc :, stricte sumpta (§. 4.), nego consm utramque. Omnis sapientia utique a Deo est, Deus est fons, radix, et caussa sapientiæ, cujuscumque rei ea sit, sive nempe rerum naturalium, sive rerum supernaturalium. Fons sapientiæ ut auctor naturæ, si sapientia est de rebus naturalibus; fons sapientiæ ut auctor gratiæ, si sapientia est de rebus supernaturalibus. Quare optime dicimus veritatum quoque naturalium scientiam esse a Deo, prout est auctor naturae, esse nempe a Dei gratia, scilicet late sumpta. Verum hoc nihil officit propositioni nostrae, qua tuemur sine gratia supernaturali, et specialis hominem cognoscere posse Veritates aliquas ordinis naturalis.

§. 85. *Contra.* Atqui adeo omnis sapientia est a Deo, ut ipsarum veritatum naturalium cognitio sit Dei donum speciale; Ergo n. r. Prob : Volenti Moysi Tabernaculum Domino aedificare, respondit ei Dominus (Exodi XXXI. v. 2. 3.): *Ecce vocavi ex nomine Beseleel . . . . Et implevi eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia in omni opere.* Si ergo speciale Dei auxilium necessarium fuit Beseleeli pro recta scientia, et exquutione artis mecchanicæ, proculdubio omnis etc.

§. 86. R. admitt : auct : dist : primum cons : Si ergo etc : secundum quid, conc :, absolute n. utramque consm. Cum Beseleel, et omnes ejus socii ad Tabernaculum constituendum destinati, essent in arte fabrili jam versati, necessarium certe non erat necessitate absoluta, ut Deus speciali auxilio suo concurreret ad eos scientia in omni opere imbuendos. At quoniam de constituendo Tabernaculo agebatur, quod opus mirabile, et in cunctis futuris sæculis memorandum esse debebat, voluit peculiarem sapientiæ donum ar-

tificibus tribuere, ut illud et perfectius, et facilius exequerentur. Hoc autem donum, esto admittamus, in praesenti casu, supernaturale, fuit tantum illis, quibus datum fuit, necessarium secundum quid; nempe ut mox diximus, ad opus illud perfectius, et facilius exequendum, non vero necessarium absolute, cum illi jam in suo munere essent eruditi; Quemadmodum Dominus ipse (ibidem v. 6.) testatur, dicens: *In corde omnis eruditi posui sapientiam, ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi*; Adeoque nihil contra nos concludit laudatum argumentum.

§. 87. *Contra*. Atqui quæcumque naturalis cognitio non est a nobis, sed a Dei gratia; Ergo n. r. Prob: subsm. Quando indigemus sapientia, illam a Deo postulare debemus, juxta illud S. Iacobi (Cap: I. v. 5.): *Si quis indiget sapientia postulet a Deo*; Atqui teste S. Augustino (Epist: 177.) « ipsa oratio clarissima est gratiæ testificatio »; Ergo etc.

§. 88. R. dist: maj: Quando indigemus sapientia perfecta, atque rerum sublimium, et supernaturalium etc:, conc:, imperfecta, et illarum rerum quae naturæ lumine, et viribus etiam solius naturæ cognosci possunt, subd:, ut facilius atque perfectius ea cognoscamus, conc:, ut simpliciter ea cognoscamus, nego maj; admitto min:, et n. consm. Cum S. Iacobus fideles admonet, ut a Deo postulent sapientiam, non loquitur de cognitione quacumque veritatum pure naturalium, quæ sola ratione duce consequuntur; sed illa sapientia, quæ est donum perfectum, et datum optimum, et qua mens humana, excussa errorum caligine, videt clarissime quae cognoscenda sunt; et ea quae cognovit, valet adimplere. Quod si Apostoli monitum ad petitionem quoque scientiæ rerum naturalium a Deo extendere velimus, id ita est intelligendum, ut Deus peculiari auxilio efficiat, ut promptius, et perfectius illa adquiratur, quae nonnisi longo tempore, atque improbo

labore adquireretur. Hinc Sancti, antequam studio se darent, ad orationem confugiebant; et plures ex ipsis ingenue fassi sunt, se plus in studiis profecisse orationibus, atque jejuniis, quam vigiliis multis, et labore plurimo in studendo. Quare admiratus Angelicus doctor, tam magnam eruditionem, multiplicemque doctrinam in Seraphico Doctore S. Bonaventura, ab eoque sciscitatus, unde illam promeret, principem ille sui librum Iesum Crucifixum ostendit. Restat ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Potest homo absque speciali gratiæ auxilio aliquas veritates morales, et practicas ordinis naturalis cognoscere.

§. 89. Prob. Nam Apostolus Paulus ad Romanos scribens (Cap. I. v. 21.) reprehendit, tamquam inexcusabiles antiquos Philosophos, quod Deum non glorificaverint; atque insuper affirmat (Ibid. Cap. II. v. 14.), quod *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Supponit ergo Paulus, Philosophos illos cognovisse hanc veritatem moralem: Deum nempe esse glorificandum, eique pro beneficiis acceptis gratias agendas esse; supponit, Gentes sine lege, naturaliter novisse veritates morales et practicas; nam quomodo naturaliter fecissent, quae legis sunt, nisi prius naturaliter novissent ea facienda? Ergo potest homo etc. Huc accedit, quod Lex naturae scripta dicatur in hominum cordibus, qua fit ut cognoscant naturaliter quod bonum, quod malum est; licet non omne. Unde Chrysostomus (Hom. 59. in Genes.): « In natura nostra,

ait, insita est scientia boni, et mali, nullus igitur praetexat, quod ignorans virtutem negligat » (1).

PROPOSITIO V.

Ad veritates supernaturales cognoscendas, et ad ipsum fidei initium habendum, necessarium est gratiæ supernaturalis auxilium.

§. 90. Probatur 1. pars. Apud S. Matthæum (Cap. XI. v. 17.) ait Christus Dominus: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Hinc cum ipsi dixisset Petrus (Matthæi Cap. XVI. v. 17.): *Tu es Christus Filius Dei vivi*, statim ei respondit dicens: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Deinde apud Joannem hoc ipsum testatur dicens (Cap. VI. v. 44.); *Nemo venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* Jam vero ex Augustino (2) « trahi a Patre ad Christum » . . . nihil aliud est, quam donum accipere a Pa- » tre, quo credat in Christum; Fides igitur et in-

(1) Graphice hanc veritatem demonstrans S. Prosper, his versibus (Carm. de Provid.) homines alloquitur.

Ite ipsi in vestrae penetralia mentis, et intus
Incisos apices, ac scripta volumina cordis
Inspicite, et genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit, modo, non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeo stolide oblectetur apertis,
Aut quod agit velit ipse pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum
Damnat, et in moechum gladios distringit adulter.

(2) Epist II. Cap. II. v. 5.

» choata et perfecta donum Dei est ». Sed et Apostolus veritatem hanc pluribus in locis declarat; Ad Corinthios namque scribens ait (1): *Non sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; Et ad Ephesios (Cap. II. v. 8.), inquit: *Gratis estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est*: Necnon ad Philippenses (Cap. I. v. 29.): *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Quinimo de seipso loquens (2) inquit: *Misericordiam consecutus sum ut sim fidelis*, non dixit, recte animadvertit Magnus Augustinus (3) » quia fidelis eram, sed ut » fidelis essem; ostendens ipsam fidem, nisi a Deo » miserante, non posse esse, et esse donum Dei »; Ergo etc.

§. 91. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Carthaginense Canone IV. haec habet; *Donum Dei est et scire quod facere debeamus, et diligere ut faciamus.* Concilium Arausicanum II. Canone VII. ita definit: *Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate, et injuria tenemus;* Tandem Tridentina Synodus (Sess. VI), anathema in eum dicit, qui affirmat, *hominem posse credere . . . sicut oportet, sine præveniente Spiritus Sancti gratia, et adjutorio*; Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 92. *Objic.* Quod ab homine exigitur, in hominis est potestate.; Atqui rerum supernaturalium fides ab homine exigitur, dicente Apostolo (Roman.

(1) Libro de Praedest. Sanctor. Cap. VIII.
(2) Epist ad Cor. Cap. VII. v. 25.
(3) De grat. et lib. arb. Cap. VII.

Cap. X. v. 9.): Si *credideris salvus eris*; Ergo fides est in hominis potestate; Adeoque etc.

§. 93. R. dist. maj. Quod non excedens vires naturales, ab homine etc., conc.; excedens; nego maj., et dist. min., absque gratia Dei, nego min., supposita Dei gratia, conc. min.; Ergo etc. nego utramque consequentiam. Quod vires naturae non excedit, et ab homine exigitur, in hominis est potestate; non vero quod vires naturae creatae excedit. Hoc namque ab homine quidem exigitur, sed ab homine Dei gratia suffulto; et dicitur in hominis potestate, tum quia homo potest illud peragere viribus gratiæ adjutus; tum quia libertatem habet illud non facere. Fides itaque ab homine exigitur, ut salutem consequatur, cum sine fide impossibile sit placere Deo (Hæbr. Cap. XI. v. 9.). At initium fidei, et fides ipsa, quæ maxime salutem operatur, cum supernaturalis sit, exigitur ab homine, sed supposita gratia; exigitur nempe, ut homo non respuat gratiam fidei, sed sufficienter revelatis, liberum voluntatis suae consensum praebeat; ut vocanti Deo aures adhibeat, nec cor suum obduret, sed convertatur. Hinc S. Augustinus: « utrumque, ait (Lib. de Praedest. Sanct. » Cap. XI.), Dei est, et quod jubetur, et quod ju» bet, rogant credentes, ut sibi augeatur fides. » rogant pro non-credentibus, ut et in suis incre» mentis, et in suis initiis Dei donum sit fides ».

§. 94. *Contra*. Atqui ex citato Apostolo, saltem fidei initium est a nobis; Ergo n. r. Prob. subsm. Paulus ad Romanos scribens ait (Cap. VII. v. 18.): *Velle adjacet mihi*: *perficere autem non invenio*; Ergo saltem initium bonæ voluntatis ad credendum, est a nobis; Quare S. Augustinus (1) sic ait: «

(1) Exposit. quarumdam proposit. Epist. ad Roman.

» Quod credimus nostrum est : quod autem bonum » operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum » Sanctum » ; adeoque, etc.

§. 95. R. dist. ans. Velle etc. ex gratia praeveniente, et excitante, conc. ; sine tali gratia, nego ans., et consm. Nam ita explicat hunc S. Pauli locum Angelicus Doctor (Epist. in hunc loc.), « » *Velle adjacet mihi*; scilicet per gratiam jam re» parato, est ex operatione Divinæ gratiæ, per quam » quidem gratiam non solum volo bonum, sed etiam » aliquid boni facio, quia repugno concupiscentiae, » et contra eam agam ductus spiritu, sed non inve» nio in mea potestatę quomodo istud bonum perfi» ciam . . . . Et per hoc manifestatur, quod bo» num gratiæ, non habitat in carne, quia si in carne » habitaret, sicut habeo facultatem volendi bonum » per gratiam habitantem in mente, ita haberem fa» cultatem perficiendi per gratiam habitantem in » carne ». Quod vero velle adjacet nobis revera per gratiam, Apostolus ipse clare ostendit ad Philippenses (Cap. II. v. 13.) scribens, dum ait : *Deus est, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Ad illud autem, quod in confirmationem ex Augustino subjungitur, respondet Augustinus ipse, seipsum explicans (Ibid. n. 7.) : « Dixi, nostrum » est enim credere, et velle; illius autem dare cre» dentibus et volentibus facultatem bene operandi » per Spiritum Sanctum . . . . Verum est quidem, » sed eadem regula, et utrumque ipsius est, quia ipse praeparat voluntatem, et utrumque nostrum, » quia non fit, nisi volentibus nobis » (1).

(1) Vid. Boucat Tomo III. Dissert. IV. art. 1. et Sect. IV. Concl. 2. Tournely Tomo III. Parte II. q. 5. art. 2.

CAPUT V.

De necessitate gratiae ad bonum faciendum.

§. 96. *Def.* 1. *Bonum generatim dicitur, quidquid Naturae humanae conveniens est.* Atque triplex distinguitur; nempe 1. *naturale;* 2. *morale;* et 3. *supernaturale.*

§. 97. *Def.* 2. *Bonum naturale illud est, quod humanae naturae conveniens est, illamque perficit, quatenus natura est.* Ita est, rectos sensus habere, perfectam valetudinem, opes unde decenter vivamus etc.

§. 98. *Def.* 3. *Bonum morale illud dicitur, quod est sonforme Legi, et rectae rationi.* Ita eleemosinæ largitio pauperi facta, pupillorum subventio, Viduarum defensio etc:, bona moralia sunt.

§. 99. *Def.* 4. *Bonum supernaturale illud est, quod humanae naturae conveniens est, eamque perficit in ordine ad aeternam felicitatem.* Ita credere in Deum, ponere in Deo spem nostram, Deum atque proximum diligere etc., bona supernaturalia sunt; sicuti bona etiam supernaturalia sunt bonum naturale, et morale, dummodo ad aeternam felicitatem comparandam dirigatur. His positis, sit.

PROPOSITIO I.

Justorum opera dicenda non sunt peccata. Contra Joan: Hus, et Wiclefum.

§. 100. Prob. 1. De Job namque legitur (Cap. I. v. 22.): *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.* De Jeroboam Rege Israel, legitur ei dictum a Domino (III. Regum Cap. XIV. v. 8.): *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo, faciens, quod placitum esset in conspectu meo.* Apud S. Mat-

thaeum (Cap. V. v. 16.) ait Dominus Discipulis suis: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Tandem, ut alia taceamus, brevitatis gratia, Apostolorum Princeps, fidelibus omnibus inquit (Epist. II. Cap. I. v. 10.): *Fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Quid clarius?

§. 101. Prob. 2. auctoritate Concilii Tridentini in quo ita statutum legitur: (Sess. VI. Can. 25.): *Si quis in quolibet bono opere, justum saltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Homo sanctificante gratia destitutus potest aliquod morale bonum facere; proinde omnia peccatoris opera non sunt peccata.

§. 102. Prob. I. Apud Ezechielem (Cap. XVIII. v. 30.) *ait Dominus Deus: Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*; Regi quoque Nabuchodonosor dixit Daniel (Cap. IV. v. 24.): *Peccata tua eleemosinis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Hæc et alia his similia multa in Scripturis tum Veteris, tum Novi Testamenti leguntur, ex quibus sic: Deus vult nos agere pœnitentiam, eleemosinis redimere iniquitates nostras; eleemosinam igitur facere est opus bonum, orare Deum, ut dimittat nobis delicta nostra, et alia hujusmodi sunt bona, alias Deus nobis consuleret, et praeciperet malum, et peccata, ad quid? ad remittenda peccata, quo nihil iniquius excogitari potest. Ergo etc.

§. 103. Prob II. ex Tridentino, in quo ita definitum habetur (Cap. VII. v. 18.) *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.*

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 104. *Objic:* Prop: In Proverbiis (Cap. XV.) legitur: *Victimae impiorum Deo abominabiles sunt*; Ergo a fortiori eorum actiones, cum impii plus in actionibus, quam in victimis de suo habeant.

§. 105. R. conc:, ans., nego consm: cum paritate. Dispar omnino est victimarum, ac propriarum actionum ratio; Cum enim victimae et sacrificia instituta sint ad iram Divinam propter peccata excitatam placandam, et nequeat ira divina placari, quin peccatum iræ caussa detestetur, et odio habeatur; ideo Deo abominabiles sunt victimæ impiorum, qui offerunt ei quidem sacrificium, sed suorum peccatorum non pœnitet; et idcircò magis offendunt Deum, qui vult sancta tractari; et ad altare accedentem sacerdotem sanctificatum exigit, ut sic et pro populi peccatis Deum placare possit. Opera autem, quae operantis propria sunt, ut elagitio eleemosinæ, licet exigant gratiam, ut sint meritoria vitæ æternæ, gratiam tamen non exigunt, ut sint moraliter bona, quia auxilio legis naturalis, quilibet homo habet sufficientem virtutem ad bene moraliter operandum, saltem aliquando, et cum aut nulla, aut levis urget tentatio. Opus autem moraliter bonum si quando ab impio fiat, Deo nec displicet, nec displicere potest, neque ipsi peccant (uti probatum §. 102.).

§. 106. *Contra.* Atqui sicut victimæ, ita et quodvis aliud impiorum opus Deo abominabile est; Ergo

etc. Prob : ans : Deo abominabile est quidquid ad ipsum non refertur, et ideo Apostolus Corinthiis præcipit. (I. X. v. 31.) : *Sive manducatis, sive bibitis etc. omnia in gloriam Dei facite*. Sed impii nulla sua opera ad Deum referunt; Ergo etc.

§. 107. R. dist : maj : Sive implicite, sive explicite, conc: maj:, explicite tantum, n. maj:, et dist: min: Opera moraliter bona ad Deum non referunt explicite, concedo min:, implicite, nego min:, et consm. Si quæ faciunt impii opera moraliter bona, ea utique ad Deum explicite non referunt, quia dum ea faciunt, nec de Deo cogitant, nec ad Deum suam intentionem dirigunt: Referunt tamen implicite, quatenus opus ipsum ex propria natura dicit relationem ad Deum, ut est aucthor naturæ qui legem naturalem statuit, ac servandam præcipit. Hæc autem implicita relatio sufficit ut eorum opera moraliter bona Deo non displiceant, et non peccent, quia ea faciendo implent divinam voluntatem. Nec idcircò sequitur, quod hæc eorum opera moraliter bona apud Deum sint meritoria vitæ æternae, quia ut talia sint, oportet ut vel implicite respiciant Deum, non ut auctorem naturae, sed ut auctorem gratiæ, et gloriae, qui per Jesum Christum nobis salutem confert; atque hoc est, quod omnia in Dei gloriam faciamus monet Paulus; videlicet ut omnia opera etiam moralia ad Deum gratiae et gloriæ auctorem referamus; aut implicite, aut explicite, ad hoc ut etiam opus ex propria natura sterile, et æternæ vitæ non meritorium, evadat fæcundum, atque æterna vita dignum.

§. 108. *Contra*. Atqui nec etiam implicite peccatores sua opera ad Deum referunt; ergo n. r. Prob. subsm. Si saltem implicite peccatores opera sua ad Deum referrent, opera illa essent munda; Atqui ex Apostolo ad Titum scribenti (Cap. I. v. 15.) : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum*

mens, *et conscientia*; Ergo eis nihil est mundum; adeoque.

§. 109. R. Apostolus laudato in loco non loquitur de operibus omnibus justorum, et peccatorum, et istorum opera, omnia peccata dicit, illorum vero opera bona et munda; Si enim hoc esset, justus nihil umquam mali ageret, contra ac scriptum legitur (Proverb. Cap. XXIV. v. 16.): *Septies in die cadit justus. Si dixerimus quoniam* (Epist. I. Joan. Cap. I. v. 8.) *peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; Loquitur ergo de cibis mundis, et immundis secundum legem, quasi dicat, hominibus fidelibus et justis nullus cibus est amplius immundus, quia per novam Legem, Lex Vetus obligare cessavit; omnia ergo illis munda sunt; Judæis autem, et infidelibus, omnes cibi sunt immundi, illi quoque qui olim mundi censebantur, quia iniquinatam habent et mentem, et conscientiam. Nam si manducant illos solum, qui secundum legem Mosaicam mundi sunt, peccant peccato infidelitatis, quia Messiam non credunt advenisse; si vero et immundos comedunt, peccant contra conscientiam, quia credentes legem Mosaicam adhuc vigere, manducant quod in illa prohibetur. Hoc ergo sensu ait Apostolus: *omnia munda mundis, etc.*

§. 110. Objicies. 2. Jesu Christi Domini nostri oraculo apud S. Matthaeum (Cap. VII. v. 18.): *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Atqui malorum arborum nomine intelliguntur peccatores, et nomine bonorum fructuum intelliguntur opera bona; Ergo peccator nequit opus bonum efficere; adeoque falsa propositio.

§. 111. R. Dist. 1. cons. peccator quoties agit ut peccator est, ex malitia nempe, et cupiditate, nequit bonum efficere, conc., quoties agit ex fine honesto, et in se bono, nego consm. Peccator uti peccator est, et agens sine Dei timore, et ex malitia,

atque cupiditate, est utique arbor mala, et non potest bona opera, fructus scilicet bonos facere. At peccator non semper ut peccator agit, atque ex prâva cupiditate; quot namque peccatores sunt, adeo peccatorum sarcina gravati, ut repetere possent illud Davidis (Psal. 35.): *Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et tamquam onus grave gravatæ sunt super me*, et tamen aliquando observantur manus suas ad pauperes extendere, viduas sustentare, sacrificiis, atque sacris functionibus devote assistere; praeces ad Deum, atque BB. Virginem saepius fundere; et alia hujusmodi perpetrare? Numquid ergo ista faciendo male agunt, et novis iniquitatibus se onerant peccatores? Nihil absurdius excogitari potest; Ergo etc.

§. 112. *Contra.* Atqui peccatores nullo pacto sine gratia opus morale bonum efficere possunt; Ergo redit argumentum Prob: subsm. Peccatores in Scripturis dicuntur *arbores autumnales infructuosæ*; (Judæ Cap: II. v. 10.); Ergo si hujusmodi arbores nullos cujuscumque sunt generis fructus producunt, etiam peccatores cujuscumque generis opera bona efficere nequeunt; Adeoque etc.

§. 113. R. admitt. maj.; n. min. cum consequentia. Quoties in Scripturis homines arboribus Autumni tempore assimilantur, nihil aliud datur intelligi, quam sicut ea tempestate arbores humoribus necessariis orbatæ, ad novos fructus tunc producendos ad hominum vitam sustentandam impares sunt, ita homines in peccatis degentes, et humore divinæ gratiæ carentes, fructus æternæ vitæ producere nequeunt; non vero quod nullum opus morale naturalis ordinis efficere valeant.

§. 114. *Contra.* Sed quilibet impius prava sua intentione omnia sua opera corrumpit; Ergo omnia ejus opera mala sunt. Prob: ant: De hujusmodi hominibus legitur (Tim. II.), quod a Diabolo captivi tenentur ad

suam voluntatem; Sed diaboli voluntas est, ut semper habeant perversam intentionem, et male operentur; Ergo etc.

§. 115 R. dist: ans. Videlicet eos cogit physice nego ans: moraliter tantum allicit, conc: ans, et nego consm. Apostoli mens est, non quod Diabolus infideles cogat physice ad peccandum, quia hoc in casu non peccarent, cum nullus peccat in eo, quod vitare non potest; sed tantum moraliter; quatenus eos ad peccandum incitat, et allicit, eisque materiam peccandi subministrat. Cum autem hæc moralis necessitas non penitus extinguat liberum arbitrium, sed tantum eum debilitet, et infirmum reddat, fit inde, ut quando aut nulla, aut levis tentatio urget, possint infideles operari ex motivo honesto, ut patet ex matre infideli filios nutriente ad eos conservandos, et ex divite pariter infideli moto ad faciendam eleemosinam ob admirationem miseriæ pauperis.

PROPOSITIO III.

In præsenti statu, homo, fidei gratia destitutus, potest velle, et operari bonum aliquod opus morale naturalis ordinis, sine gratia actuali; adeoque non omnia Infidelium opera sunt peccata.

§. 116. Probatur 1. Nam Sacris in literis legitur, Deum multa Infidelium opera remunerasse. Et sane (Exodi Cap. I. v. 15.): *Benefecit Deus obstetricibus* Ægyptiis, *eo quia timuerunt Deum*, hoc est contra praeceptum Pharaonis, servarunt infantes masculos, *ædificavit eis domos*, prolem scilicet copiosam eis concessit. Nabuchodonosor, jussu Domini bellum adversus Syrios feliciter cum gessisset: *Dedi ei* (Ezechielis Cap. XXIX. v. 21.) *Terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Si ergo Gentiles pro aliquibus operibus a Deo re-

munerati fuerunt, profecto illa eorum opera peccata non fuerunt, sed bona, moraliter saltem, et naturaliter. Recte S. Hieronymus (In laud. locum.); Ex » eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni » operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni » fecerint. non absque mercede Dei judicio praete- » riri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor co- » columba Dei appellatur, eo quod adversus popu- » lum peccatorem Dei servierit voluntati ». Sed et Apostolus veritatem hanc clare ostendit ad Romanos (Cap. II. v. 14.) scribens: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Si ergo *naturaliter*, hoc est natura duce, quæ legis sunt, Gentes faciunt, faciunt profecto aliquod morale bonum; quod namque lege praescribitur, nonnisi bonum esse potest; adeoque omnia Infidelium opera minime dicenda sunt peccata.

§. 117. Prob. 2. hac ratione. Si omnia Infidelium opera essent peccata, profecto monendi forent Turcae, Idololatrae, aliique Infideles, atque ipsi haeretici, ut ab eleemosinis elargiendis se abstinerent, ut debitum Parentibus honorem non tribuerent, ut mutua charitatis officia omnino desererent. Si enim prædicta ab Infidelibus facta, peccata sunt, suadenda non sunt; atqui hoc nemo unquam dicere audebit; Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 118. *Objic.* 1. Ex Sacra Scriptura constat, quod sine fide et gratia nullum opus nec moraliter bonum fieri potest; ergo etc. Prob: ans: Joan: 15. ait Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Porro vox *nihil* universalis est, et quodcumque opus excludit. Ergo etc.

§. 119. R. dist: ans. Quodcumque opus supernaturale, conc: ans.; quodcumque opus morale, nego ans, et consm. Illa Christi sententia, aliæque similes,

quæ passim in Sacris literis leguntur significant, quod sine auxilio gratiæ, nullum agere possumus opus supernaturale æternæ vitæ meritorium; non vero significant, quod nullum pariter opus moraliter bonum agere possimus. Contrarium siquidem alibi docet, et Apostolus Paulus, et ipsemet Christus. Atque eodem sensu intelligenda sunt illa alia, quae illae Christi Domini similis in Scripturis leguntur.

§. 120. *Contra.* Atqui Christus sine gratia excludit operationes cujuscumque generis, etiam moraliter bonas; ergo etc. Prob: subs: Matth: 14. ait: *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Nomine oculi nequam intelligitur intentio mala, et nomine corporis tenebrosi mala operatio: Sed in infidelibus est mala intentio; Ergo etc. Adeoque etc.

§. 121. R. conc: maj: dist: min: Quoad aliqua, conc:, quoad omnia subdist:, est de facto, transeat; nequit esse moraliter bona, nego min: et consm: Allatis verbis significat Christus, quod operatio ab agentis intentione bonitatem, et malitiam desumit, quia si oculus est nequam, hoc est intentio perversa, totum corpus tenebrosum est, nempe perversa est etiam operatio. Non significat autem quod infideles semper habeant intentionem ita malam, ut numquam possint habere moraliter bonam. Quamvis enim ordinarie loquendo malam intentionem semper habent, et quia superbia, avaritia, et luxuria ut plurimum ducantur, tamen aliquando, cum aut nulla, aut levis urget harum concupiscentiarum tentatio, possunt habere moraliter bonam, quod nobis sufficit, quia nostra propositio non adfirmat, quod naturaliter de facto fiat aliquid opus moraliter bonum, sed solum, quod fieri possit.

§. 122. *Contra* Atqui in infidelibus nec est, nec esse potest intentio bona; ergo etc. Prob. subsm. Apud Joannem (I. Cap: II. v. 14.) legitur: *Quidquid est in*

Mundo concupiscentia carnis est, *concupiscentia oculorum*, *et superbia vitae*, nempe est aut aviditas carnalium, aut divitiarum, aut propriae excellentiæ: sed infideles, sunt in Mundo, et de Mundo; Ergo hanc solam aviditatem habent; adeoque eorum intentio semper est mala, et numquam potest esse bona.

§. 123. R. dist: maj: Est mala, ita ut nullus umquam possit operari propter honestatem moralem, nego maj:, ut aliquando possit, conc: maj:, min:, et nego consm in senu distint. In sententia S. Joannis, nomine Mundi intelligitur homo sequens Mundum, et significat, quod in eo regnant vitia aut Superbiae, aut Avaritiæ, aut Luxuriae. Quamvis autem in eo haec vitia regnent, non idcirco impotens est ad faciendum aliquod opus moraliter bonum, quia potest dari casus, in quo haec vitia infidelem, vel nullo modo, vel leviter tantum impetunt, et tunc proculdubio operabitur non ex vitio, sed ex ductu rationis, et legis naturalis, quæ licet a peccato obscurata valde sit, extincta tamen non est, et saltem quoad universaliora principia omnibus hominibus nota est. Sic esse potest, ut infidelis videat pauperem, maxima miseria, et doloribus affectum, et ut misericordia a tot miseriis excitatur, ei eleemosinam largiatur, quin propter admirationem, et propter misericordiæ vehementem motum, posset cogitare de propria vanagloria: quo in casu faceret opus non vitiosum, sed honestum, et moraliter bonum. Sic quamvis, ut plurimum, finis infidelis sit Idolum, et finis impii sit fruitio creaturae, suorumque vitiorum satietas, tamen aliquando evenire potest ut finis Idoli locum non habeat, et vitia non tentent, ut in allato exemplo, nec non ex matre infideli, quæ in nutrione sui filii, non respicit Idolum, sed filii conservationem.

§. 124. *Objic.* II. Ex Apostolo (Cap. XIV. v. ult.); *Quod non est ex fide peccatum est*; Atqui opera Infidelium non sunt ex fide; Ergo sunt peccata.

§. 125. R. dist. maj. Quod etc., quia fit ex motivo incredulitatis, aut non est vitae aeternæ meritorium, conc.; secus, ne: maj.; et dist. min.: Atqui etc. non sunt ex fide, hoc est ex motivo fidei Divinae supernaturalis, aut ex motivo incredulitatis ab infidelibus fiunt, conc. min.; sunt omnia contra dictamen rationis et conscientiae, n. min., et consm. Paucis rem totam conficit Angelicus Doctor (In hunc loc.): « In homine infideli, ait ipse, cum infideli» tate est bonum naturae. Et ideo cum aliquis infi» delis ex dictamine rationis aliquod bonum facit » non referendo ad malum finem, non peccat. Non » tamen opus ejus est meritorium, quia non est gra» tia informatum. « Et post pauca, concludit « *Opus omne quod non est ex fide peccatum est*, sic est » intelligendum: omne quod est contra fidem, vel » contra conscientiam, peccatum est, etsi ex genere « suo bonum esse videatur, puta si Paganus ad ho» norem suorum Deorum, virginitatem servet, vel » eleemosinam det, hoc ipso peccat.

§. 126. *Contra*. Atqui quaecumque infidelium opera sunt peccata; Ergo n. r. Prob. subsm. Apostolus ad Ephesios scribens, ita loquitur ad illos (Cap. IV. v. 17.): *Hoc dico, et testificor in Domino, ut jam non ambulatis sicut et Gentes ambulant in vanitate sensus sui.* Quibus positis, en argumentum. Qui ambulant in vanitate sensus sui, utique peccant; et eorum opera mala sunt; Atqui Gentes, hoc est infideles, ambulant in vanitate sensus sui; Igitur eorum opera peccata sunt; Adeoque etc.

§. 127. R. dist: maj: Quoties opera quae faciunt, Legi naturali adversantur, conc: maj., secus, n. maj., et dist: min: Atqui Gentes etc:, ita ut omnia ipsorum opera Legi naturali contraria sint, ut ne quidem opus bonum morale naturalis ordinis efficere possint, n. min:, secus conc., et n. utramque consm. Cum Gentiles, qui extra veram fidem Catholicam sunt po-

siti, *tenebris obscuratum habeant intellectum*, *alienati a via Dei per ignorantiam*, *quae est in illis*, *propter coecitatem cordis ipsorum*, mirum esse non debent si ipsi ambulant in vanitate sensus sui; hoc est vitam ducant, non secundum dictamen rectae rationis, aut Legis, sed secundum sensuum, et carnis concupiscentias. Ex hoc autem non sequitur, ipsos nullum omnino opus bonum morale ordinis naturalis efficere posse, aut, quod pejus est, opera omnia ipsorum esse peccata, et vitia ipsas virtutes. Si hoc intellexisset Apostolus, certe alibi (Rom: II. v. 14.) non dixisset: *Gentes quae Legem non habent*, *naturaliter ea*, *quae legis sunt*, *faciunt*. Quare esto infideles recte non incedant in suis operationibus, possunt nihilominus aliquod bonum morale naturalis ordinis sine gratia efficere; neque per consequens omnia illorum opera dicenda sunt peccata.

§. 128. *Contra*. Atqui omnino impossibile est, ut infideles aliquod morale bonum sine gratia efficiant: Ergo n. r. Prob: subsm. Si absque gratia fidei posset infidelis aliquod morale bonum efficere, infideles possent placere Deo; Atqui (Hæbr. Cap. XI. v. 6.): *sine fide impossibile est placere Deo*; Ergo etc.

§. 129. R. dist. maj.: Si absque gratia etc. placere Deo ratione sui, nego maj., ratione operis, conc. maj.; Atqui etc., ratione sui, conc.; ratione operis, nego min. et consm.: Infidelis utique in infidelitate sua manens placere non potest Deo, utpote qui non est de populo ejus, et ovis pascuae ejus; At cum objectum Divinae voluntatis sit bonum (§. 216. T. III.), faciens ille aliquod bonum morale, ordinis licet naturalis, bonum hoc Deo placet; et ratione hujus boni, Infidelis dici potest Deo placere, ipsique placet, et ab ipso quandoque remuneratur (§. 116.). Licet dicere hic etiam possumus, Apostolum ibi non loqui de placentia Deo, qua homo fit Deo dilectus, juxta illud (Sapientiae Cap. V. v. 10.): *Placens Deo fa-*

ctus est dilectus, et aeterna mercede dignus; Hoc sensu, impossibile utique omnino est placere Deo sine fide; cum certum sit, sine fide, quam bona opera comitantur, impossibile esse salutem aeternam obtinere; Ait siquidem Dominus; Marci Cap. XVI. v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur* (1).

PROPOSITIO IV.

Homo sine actuali gratia nequit supernaturale opus efficere ad salutem æternam conducens. Quare etiam justi gratia actuali opus habent, ut in bono perseverent.

§. 130. *Prob.* I. ex Scripturis. Apud S. Joannem ait Christus (Cap. VI. v. 44.): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*; et alibi (Cap. XV. v. 5.): *Sine me nihil potestis facere.* Hinc Apostolus; *Non quod sufficientes simus*, ait (2), *cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Nam: *Deus est*, inquit idem ad Philippenses scribens (Cap. II. v. 13.): *Deus est, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Quare Ecclesia Dominum orat, dicens: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.*

§. 131. *Prob.* II. Conciliorum aactoritate. Siquidem in Concilio Palestino definitum est: *Gratiam*

---

(1) Leg. Frassen Tomo VIII. Tract. III. Disp. I. Art. II. q. 3. Antoinè Tomo II. Tract. de Gratia Cap. V. Art. VII. Tournely Tomo III. q. IV. Art. II. pag. 364.

(2) Epist. II. ad Cor. Cap. III. v. 5.

Dei ad singulos actus dari. In Concilio Carthaginensi inquiunt unanimiter Patres: *Dicamus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvare: ita ut sine illa nihil verae, sanctaeque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* In Concilio Arausicano II. (Canon. VII.) ita definitum legitur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere posse confirmet absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.* Neque his dissimilia habentur statuta in Concilio Tridentino (Sess. VI.).

§. 132. *Prob.* Secunda pars. Propheta David Deum orans ait (Psal. 79. v. 18. 19.): *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi, et non discedimus a te.* « Manus igitur Dei, inquit S. Augustinus (1) » est ista, non nostra ut non discedamus; manus inquam ejus est ista, qui dixit Jeremiae (Cap. XXXII. v. 40.): *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedat a me.* Ergo etc.

§. 133. *Prob.* eadem pars ex Conciliis. Concilium Arausicanum II. (Can. X.) ita definit: *Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Concilium Tridentinum (Sess. VI. Can. 16.) perseverantiam appellat: *magnum donum*; atque statuit (Canone 22.): *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

(1) De bono persever. Cap. VII.

Adversariorum, argumenta solvuntur.

§. 134. *Objic.*: Zacchariæ (Cap. I.) 1., ait Dominus: *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Lucæ (Cap. II. v. 2.) ait Christus: *Petite, et accipietis*: Atque hujusmodi alia loca, ex quibus en argumentum. Quod a nobis exigitur est in nostra potestate; atqui suasionibus, præceptis, atque exhortationibus a nobis exigitur conversio; Ergo etc: Adeoque etc.

§. 135. R. dist: maj: auxilio gratiæ praevenientis, conc: maj:, sine hoc auxilio, nego maj:, dist: min:, ut admoneamur nostri liberi arbitrii, conc: min:, ut excludatur gratia praeveniens, nego min:, et consm. Innumerae propemodum sunt sacrae Scripturae loca, quibus aperte ostenditur, quod sine gratiam Dei nullum opus bonum ad pietatem spectans agere possumus, ut illud Christi: *Sine ne nihil potestis facere.* Illud Pauli: *Deus operatur in nobis velle, et perficere*, et alia hujusmodi. Plura etiam sunt, quae ostendunt bona opera esse in nostra potestate, ut allata in argumento; atque alia hujusmodi; cum autem Scriptura non loquatur pugnantia, hujusmodi loca, quae pugnantia videntur, inter se concilientur oportet. Sed potest ne id fieri in systemate Pelagiano, vel Semipelagiano? Nequaquam. Nam dicendo cum ipsis, quod solo libero arbitrio, sine gratiæ auxilio possumus opus bonum efficere, non solum non conciliantur, sed aperte falsa restant illa loca: *Sine me nihil potestis facere: Deus operatur in nobis velle, et perficere*; et cetera hujusmodi. Ast accidit ne idipsum in systemate Catholico? Haud sane. Etenim dicendo, quod sine gratiae auxilio nullum opus bonum agere possumus, non falsa restant, sed optime conciliantur illa loca, quibus admonemur ut convertamur, ut petamus, et cetera hujusmodi. Conciliantur inquam dicendo, quod sacra Scriptura ibi loquitur ex suppositione gratiae prae-

venientis, quam Deus paratus est nobis elargiri, et cujus auxilio possimus converti, petere etc.; sed inquiunt, si nonnisi auxilio gratiae converti, et petere possumus, cur nobis imperat, ut convertamur, et petamus? Imperat ut admoneamur nostri liberi arbitrii. Cum dicit, ait Concil: Tridentinum (Ses: 6. C. V.): *Cum dicitur Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus: converte nos Domine ad te, et convertamur Dei gratia nos praeveniri confitemur. Cum enim semper verum sit, quod nos per nostrum liberum arbitrium ad Deum convertimur, licet Dei gratia præveniamur, et adjuvemur ad bonum opus agendum; ideo Sacra Scriptura aliquando Divinae gratiæ nostram conversionem adscribit. Hanc ob rem Deus nobis dicit (Ioelis 2.) *Convertimini ad me in toto corde vestro;* et nos ei dicimus (Psal: 85.): *Converte nos Deus salutaris noster*. Item Deus imperat (Ezechielis 18.): *Faciter vobis cor novum*: et postea dicit (Cap. 36.): *Dabo vobis cor novum*; dat scilicet Deus quod jubet, et jubet ut cognoscamus, quod ipse nobis suam gratiam conferendo, nostrum liberum arbitrium non destruit. Apposite S. Augustinus (Lib. de grat: et lib. arb: Cap. XX.) « Quomodo ergo, qui dicit: *Facite vobis*, hoc dicit dabo vobis? Quare jubet si ipse daturus est? Quare dat si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet ».

§. 136. *Contra.* Atqui conversio petitio etc, est in nostra potestate sine praevenientis gratiæ auxilio; Ergo etc. Prob: subsm. Ad Romanos (Cap. VII.) ait Apostolus: *velle adjacet mihi*; *perficere autem opus bonum non invenio.* Ergo etc.

§. 137. R. dist: ans. Cum gratiæ praevenientis auxilio conc:, secus, nego ans, et consm. Apostolus, qui dicit velle adjacet mihi, dicit etiam Deus operatur in vobis; quid ergo? Numquid aliud ipse crede-

bat, aliud alios credendum docebat? Non certe. Nam una est fides. Ergo sicut Paulus alios docebat, quod in eis, Deus gratia præveniente, operatur velle bonum, ita de seipso credebat. Cur ergo ait: Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio? Ad significandum nempe, quod praeter gratiam prævenientem, quæ dat velle, necessaria est gratia subsequens, quæ dat operari. Cum enim hoc dixit, exoptabat liberari ab illa concupiscentia, et pugna carnis, quae eum impediebat ne faceret bonum, quod jam auxilio gratiæ prævenientis volebat, in qua angustia positus dicebat: *Infelix ergo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et respondet, quod hoc præstat gratia Dei, nempe gratia subsequens, quæ nos adjuvat ad vicendas tentationes. Quare per Apostolum sicut perficere, ita et velle bonum est a gratia.

§. 137. *Contra.* Atqui sine gratia velle bonum possumus; Ergo etc. Prob. subsm. Psalmo 8. de David ait Deus: *Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti;* sed hæc bona cogitatio a Deo non fuit; ergo etc. Prob: min: Deus nolebat, quod David ædificaret Templum, sed ejus filius Salomon; Ergo non ipse hanc ei cogitationem inspiravit. Adeoque etc.

§. 138. R. c. ans, nego consm. Aliquando Deus ob justas, sed occultas causas, aliquid faciendum inspirat, et præcipit, quod tamen fieri non vult. Sic Apostolis inspirat, et praecipit (Matth: 28.) ut doceant omnes gentes, et tamen prohibiti sunt loqui verbum in Asia (Actor: 16.). Porro, quod cum Apostolis, hoc in casu nostro cum Davide in illo casu egit, hoc est inspiravit bonam cogitationem ædificandi Templum, ut ex ejus receptione sibi meritum compararet, et tamen noluit, ut ipse Templum aedificaret.

§. 139. *Objic.* 2. Illud certe est opus bonum, quo gratiam promeremur; atqui viribus naturae fieri po-

test opus, quo gratiam promeremur; Ergo etc: Prob: min: Zacchæus ob desiderium videndi Christum, hunc in domo sua recipere meruit (Lucae 19.). Latro in Cruce pendens, ob orationem Domino factam, meruit salvari (Lucae 33.). Cornelius ob suas eleemosinas, et orationes meruit in fide erudiri (Actor: 10.); Et Apostolus dicit, se misericordiam consequutum ob suam ignorantiam (ad Tim. 1.); Ergo: etc. Prob: consa. Ibi enarratur quod hoc, operum vi, gratia consequuti sunt, non vero, quod gratia adjuti sint quoad gratiam consequendam, imo enarratur quod Zacchæus erat princeps Publicanorum, qui publice peccatores habebantur, et Cornelius gentilis; Ergo etc.

§. 140. R. dist: ans; enarratur tamen alibi, quod gratia sint adjuti etc., conc: nullibi narratur, nego ans, et consam. Est hoc aliud Pelagianorum, et Semi-Pelagianorum haereticorum principium; dicebant enim gratiam a nobis promereri, et secundum merita nostra nobis dari probabant, in primis allatis exemplis, sed frustra omnino; siquidem desiderium Zacchæi, Oratio Latronis, Cornelii, et aliorum, qui laudari possent, a gratia fuerunt: sed inquiunt, ubi facta narrantur, non simul narratur gratiae auxilium, immo narratur, quod erant peccatores, et infideles. At queso necesse ne est ut sacra Scriptura omnia narret in uno loco? Si hoc necesse foret: profecto omnia Fidei nostræ principia repetere ipsa debuisset quotiescumque factum aliquod peculiare enarratur. Videant Pelagiani, quam inepta sit haec eorum ratio. Itaque ubi laudata facta enarrat Scriptura, utique non simul narrat, quod homines illi gratia adjuti sint, sed enarrat ubi dicit: *Sine me nihil potestis facere*; enarrat ubi dicit. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*: enarrat ubi dicit, quod Deus vocavit, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam; enarrat in innumeris propemodum locis, ubi expresse docet, quod sine gratia, gratiam

promereri non possumus. Si ergo laudati homines gratiam consequuti sunt, auxilio gratiae hoc eis bonum donatum fuit. Ceterum, de Latrone, et Cornelio dicitur, quod orabant etc. gratiam **Fidei habebant**, nam quomodo invocabunt in quem non crediderunt? (Rom: X. v. 14.), et peculiariter de Cornelio ibi enarratur quod, cum eleemosinas faciebat, et orabat, jam a Deo purificatus fuerat, ut constat ex verbis, quæ Deus dixit Petro respectu Cornelii (Actor 9.): *Quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.* Apostolus vero dicens se misericordiam consequutum propter suam ignorantiam, non adsignat caussam misericordiae; quippe si ignorantia esset caussa misericordiae, profecto infideles, et peccatores magis obcoecati, et ignorantes, veritatem, misericordiam consequerentur; non caussam inquam adsignat, sed congrue objectum divinae misericordiae. Loquutus est videlicet, ut loquitur David (Psal: 40.): *Sana animam meam, quia peccavi tibi*; ubi peccata non ponuntur ut caussa sanitatis, sed ut objectum congruum divinae misericordiae: Cum enim ignorantia, et peccatum sint maximæ miseriae animae; ideo Deo ostendentes nostram ignorantiam et peccata, ostendimus maximam esse nostram miseriam, ut eum ad misericordiam flectere videamur, cum misericordia miseros respiciat.

§. 141. *Contra.* Atqui laudatis hominibus Deus dedit gratiam secundum proprium eorum opus, naturaliter elicitum; Ergo etc: Prob: subsm: Matth: 25. legitur, quod Deus dat talenta secundum propriam virtutem; Ergo etc.

§. 142. R. dist: ans: Hoc est secundum cooperationem gratiae praevenientis, c. ans; secundum opus naturaliter elicitum, nego ans, et consm. Evangelica narratio de talentis est parabola, et in dogmatibus statuendis, non multam vim habent parabolæ, quia ignoratur quinam sit earum genuinus sensus,

nisi Deus aperire dignatur. Quod si velint Pelagiani eam intelligendam esse de gratia, respondebimus quod illa verba: Deus dat talenta secundum propriam virtutem, significant, quod Deus dat gratiam subsequentem secundum coperationem gratiae praevenientis, et quod ita sit intelligenda, probamus omnibus illi Sacræ scripturae locis, quibus adfirmatur quod gratia non datur nobis secundum opera nostra, sed secundum propositum Divinae voluntatis; Adeoque etc.

§. 143. *Contra.* Atqui Deus dat talenta secundum propriam virtutem; hoc est dat gratiam secuncundum illam capacitatem, quam suis naturalibus operibus quisque sibi comparavit; Ergo etc. Prob: subsm. Commune est effatum: ***Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam***; Ergo etc.: cui accedit quod homo naturaliter potest agere aliquod opus naturaliter bonum, et hoc in casu disponeretur ad gratiam magis illo, qui hoc opus non facit.

§. 144. R. dist: ans. Facienti, quod in se est ex motu gratiæ prævenientis, Deus non denegat gratiam subsequentem, conc: ans, sine illo motu, subdistinguo, si ei concedere placet, ita tamen ut nulla lege obligetur, conc: ans:, secus, n. ans. et consm. Laudatum effatum nonnulli Theologi ita intelligunt, quod nempe Deus non soleat dare gratiam prævenientem, nisi illis, qui bene utuntur libero arbitrio, faciendo ex viribus naturae, quod Deus, non propter hominis, sed propter Christi merita infallibiliter, ex certa lege confert gratiam prævenientem, facienti totum, quod naturali facultate facere potest. Ad nos quod spectat ne plus æquo longi simus in harum explicationum confutatione, edicimus, quod si illud: ***Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam***, intelligatur ita quod opera moralia naturaliter elicita disponant, vel de condigno ad recipiendum gratiam, Pelagianum est id enim docent ab Ecclesia jam damnati Pelagiani; unde qui ita illud intelligit, iisdem rationibus, quibus

Pelagianus, confutatus remanet. Si vero intelligatur ita quod viribus naturæ quis velle, et desiderare ea possit quæ ad salutem dirigunt, et ita disponi ad gratiam recipiendam, Semi-Pelagianum est; quia hoc illi hæretici docuerunt, quo in sensu rationibus refutantur, quibus Semi-Pelagianus refutatur. Si tandem intelligatur ita, quod opera moralia viribus naturæ elicita, sint motivum, caussa, conditio, occasio sive proxima, sive remota, cur Deus conferat gratiam hujusmodi opera faciendi quantum potest, aperte contrarium est Apostolo, dicenti ad Titum (Cap. III.) *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et Rom: IX. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Immo contrarium ipsimet Christo dicenti (Joan: 15.): *Sine me nihil potestis facere.* Si enim opera moralia naturaliter elicita sunt motivum, caussa, conditio, aut quæcumque occasio cur Deus gratiam conferat, manifestum est, quod Deus, saltem quoad principium salutis, salvos nos faceret ex operibus justitiae, quæ fecimus nos, quod esset volentis gratiam, atque ad gratiam currentis; quod sine Christi gratia possemus agere aliquod bonum opus ad salutem ordinatum. Hinc falsæ apparent binæ allatæ explicationes; nam si Deus, ut in prima laudati effati explicatione dicitur, non solet dare gratiam, nisi facienti quod naturali facultate facere potest; Ergo falsum est, quod gratiæ collatio solius sit miserentis Dei, sed est etiam hominis volentis gratiam, et ad gratiam currentis. Quod si, ut in secunda explicatione dicitur, Deus non ex hominis, sed ex Christi meritis, ex certa lege infallibiliter confert gratiam facienti quod in se est; Ergo Deus salvos nos facit etiam ex operibus justitiae, quae fecimus nos, quia etsi gratia, hoc in casu, non daretur propter merita nostra, tamen merita nostra essent occasio, cur Deus nobis gratiam conferret non propter merita Christi. Quare dicendum, quod Deus

dum nobis gratiam conferet, non respicit opera nostra naturaliter facta, sed eam confert secundum propositum suæ voluntatis, ut loquitur Apostolus; eamque ob justas, et occultas suae sapientiæ rationes, cum ei placet, confert illi, qui prae alio plus legem naturalem transgreditur, ut docet D. Augustinus, qui (Lib: de peccat. merit., et remis. Cap: 22.) ait: Nullam reddi posse rationem, sed ad inscrutabilia Dei judicia recurrendum esse, quod salutem adquirat homo libidinibus deditus, flagitiis coopertus, prae alio qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras altior sit; superest ergo, ut dicamus, laudatum effatum, hoc tantum in sensu verum esse, quod nempe Deus non denegat gratiam subsequentem, et uberiorem ei, qui auxilio gratiae praevenientis facit quod in se est.

§. 145. Dices. Multa in Sacris Scripturis leguntur, quae statis superque ostendunt posse hominem, sine gratia actuali, bonum aliquod supernaturalis ordinis efficere. Sane David (Psal: 87. v. 14.): ait Deo: *Mane oratio mea præveniet te;* et in Proverbiis clare dicitur (Cap: XVI. v. 1.): *Hominis est animam præparare;* Ergo etc.

§. 146. R. Dist. ans. Et hæc omnia, et si quæ sunt ejusmodi supponunt gratiam actualem præcedentem, et solummodo admonent nos de libera hominis cooperatione, concedo, ostendunt sine gratia posse hominem aliquod opus perficere ordinis supernaturalis, nego ans. Et consm. Et ad David quod attinet, ait ille quidem orationem suam prævenire gratiam auxiliantem; et recte, nam omne nostrum auxilium est a Domino (Psal. 120. v. 2.); Dominus autem, ut auxilium suum concedat, vult orari; juxta illud (Marci Cap. XI. v. 24.): *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis;* Unde Jesus rationem reddens cur favores non obtinuissent sui discipuli, dixit eis (Joannis Cap. XXI. v. 24.): *Usque modo non pe-*

tistis quidquam in nomine meo; *petite et accipietis*. At non dicit David orationem se fecisse, nulla Divina gratia adjuvante; alibi enim dixerat (Psal. 58. v. 12.): *misericordia ejus præveniet me*. Ad illud vero Proverbiorum, respondet laudatus Augustinus dicens « *Hominis est præparare cor, et a Domino » responsio linguæ*: quia homo præparat cor, non » tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor . . Nam » sicut dictum est *præparare cor* . . . ita etiam di» ctum est (Psal. 80. v. 11.): *Aperi os, et adim« plebo illud*. Quamvis namque sine adjuvante illo, » sine quo nihil possumus facere, os non possumus » aperire, tamen nos aperimus, illius adjumento, » et opere nostro, implet autem illud Dominus sine » opere nostro . . . . . Hominis est præparare cor, » et tamen ut hoc faciat homo, Deus, etc.

Quaeres. *An homo sine gratia possit Deum diligere?*

§. 147. R. Si Deus consideretur ut auctor naturae, potest homo sine gratia eum diligere, sed amore aliquo benevolentiæ, et imperfecto, non tamen super omnia; Nam Deus naturali ratione cognoscitur bonus, jam vero hominis voluntas fertur in bonum; Ergo etc. Hinc Paulus, (Rom. Cap. I.), inexcusabiles vocat Philosophos gentiles, quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverint. Si ergo inexcusabiles, poterant Philosophi illi aliquo, saltem amore imperfecto, Deum diligere. Si vero Deus consideretur ut auctor gratiæ, non dignoscitur nisi per gratiam fidei. Ergo nonnisi per gratiam diligi potest. Unde apud Joannem (I. Cap. IV. v. 7.) legitur: *Charitas ex Deo est*, et in Concilio Arauscano II. (Canon. ult.): *Prorsus donum Dei est diligere Deum*.

Quæres. *An homo lapsus sine gratia actuali possit servare omnia præcepta Legis naturæ, ita ut non peccet?*

§. 148. R. Negat. Nam per observantiam om-

nium præceptorum Legis homo justificatur, et vitam consequitur æternam, juxta illud Pauli ad Romanos (Cap. II. v. 12.): *Factores legis justificabuntur*; nec non Christi Domini (Matthæi Cap. XIX.): *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Atqui justificatio et æterna vita sunt ex gratia, dicente Apostolo (Ad Galatas Cap. II. v. 16.): *Quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi; justificati*, scilicet (Roman. Cap. III. v. 24.) *per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu;* et quod (Ibid. Cap. VI. 23.): *Gratia Dei vita æterna*; ergo etc. Deinde nequit homo ex seipso, tamquam ex seipso aliquid efficere imo cogitare, quod sit æternæ vitæ meritorium et ita quidem, ut homo justus quoque, ut stet in bono, et perseveret, eget gratia Dei actuali (§. 130.). Atqui servare totam legem est facere bonum æternæ vitae meritorium; Ergo absque gratia nequit lex tota servari. Hinc firmiter tenendum est tam in Lege Naturae, quam in Lege scripta, sicuti justi fuerunt, ita et gratia fuit homini necessaria, atque a Deo concessa.

Quæres. *An homo sine gratia possit superare tentationes?*

§. 149. R. Non potest superare tentationes graves; Unde David (Psal. 17. v. 30.): *In te eripiar a tentatione;* Et Christus Dominus ait discipulis suis (Matthæi Cap. XXV. v. 41.): *Orate ut non intretis in tentationem;* Quoad leves, potest. Nam si potest homo absque gratia facere aliquod morale bonum (§. 102. 103.); potest quoque superare illas difficultates, quae occurrunt in eo bono faciendo; hoc est leves tentationes.

Quæres. *An gratia necessaria sit, ut peccator a peccato liberetur, et resurgat?*

§. 150. R. adfirmative. Nam triplex malum per peccatum incurrimus, nempe *maculam*, *corruptionem*

boni naturalis, et *reatum* pœnæ æternæ, ac temporalis. Atqui non possumus ab his liberari, et neque ideo a peccato resurgere, nisi gratia deleat animæ maculam, sanet corruptionem boni naturalis, et liberet a reatu pœnæ; Ergo etc. Et sane nonnisi gratia lavantur animæ sordes, et maculæ; Hinc Regius Psaltes (Psal: 50.) dicebat Deo: *Lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*. Item gratia est, quae veluti salutaris medicina sanat omnes infirmitates nostras: quare idem Psalmista (Psal. 6. v. 2.), ait: *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum*, (Psal. 40. v. 5.): *sana animam meam quia peccavi tibi*. Tandem gratia est, qua tollitur reatus paenae sive aeternae, sive temporalis. Legitur quippe (ad Coloss: Cap: II. v. 13.): *Donans vobis omnia delicta. Delens quod adversus non erat chirographum decreti* etc., et faciens nos tribulationibus affligi in hac vita, reatum poenae temporalis aufert.

CAPUT VI.

De gratia efficaci.

§. 151. *Def. Gratia efficax est auxilium supernaturale, quo voluntas infallibiliter operatur, et producit effectum.*

§. 152. *Animad.* Divina gratia dupliciter dici potest efficax; scilicet *in actu primo*, antecedenter nempe ad consensum nostrae voluntatis; et *in actu secundo*, seu consequenter ad ipsum voluntatis actum. *In actu primo* inspecta, nihil est aliud, quam ipsa vis et energia præsentis gratiae ex se apta, et potens exprimere certo, atque infallibiliter consensum voluntatis; *In actu vero secundo* est eadem ipsissima vis et energia gratiae, seu ejus motio conjuncta, et colligata cum actu, seu prout includit auxilium adjuvans, et voluntatis cooperationem.

PROPOSITIO.

Catholicæ fidei Dogma est contra Pelagium, dari Gratiam efficacem.

§. 153. Prob. Nam per Ezechielem dixit Deus (Cap. XXXVI. v. 27.): *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis;* et Paulus Apostolus (Philipp. Cap. II. v. 13.): *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis et velle, et perficere*. Ultraquamquod si opus quodcumque aeternae vitae meritorium gratia efficaci perficitur; Cum multa bona opera ab hominibus fiant; cumque multi sint, qui finaliter perseverantes, aeternam gloriam consequantur, clarissime patet, gratiam efficacem existere.

§. 154. *Schol.* Quamvis autem certissime, et innegabile sit hoc Dei tam praestantissimum donum, existere, quo humana salus absolute aliquibus clargitur, in quo tamen gratiae efficacia reposita sit, mortalium intelligentiae non est hactenus reseratum. Lutherus, et Calvinus docuerunt, eam vim inesse gratiae, ut necessario trahat ad consensum hominis voluntatem, eamque determinet ad opus bonum agendum, a quibus vix Jansenius dissentire videtur (Vid. Antoinè Tomo II. Cap. III. P. II. §. V.). Sed quam impie, et fallaciter, ostendit Sacra Scriptura, quæ pluribus in locis liberi arbitrii cooperationem supponit in bonorum executione, præsertim in Ecclesiastico, ubi (Cap. XXXI. v. 10.) legitur: *Beatus vir, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit*. Hinc Tridentina Synodus statuit (Sess. VI. Canone IV.): *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit etc., anathema sit* . . . Jan-

senii Sectatores non dicunt gratiam efficacem necessitare voluntatem ad consensum, bene vero physice determinare, ac praedeterminare illam ad consensum. Et hi quidem a recta fide aberrant. Nam gratia efficax, ex dictis, est natura sua repudiabilis; quia ei potest voluntas resistere, vel assentiri. Quid est autem, gratiam efficacem physice praedeterminare voluntatem ad consensum, nisi eam ad consensum necessitare? Volunt alii, gratiam efficacem esse natura sua, eamque arctissime, et infallibiliter connexam esse cum effectu suo, atque individuam, et peculiarem praemotionem esse, atque inspirationem hominibus collatam absoluta, et plenissima Dei volontate, ita ut haec gratia det posse, velle, et perficere bonum opus, neque ipsa cooperatur quia volumus, sed nos ideo volumus, quia ipsa operatur. Bene habet; Apostolus namque jam dixerat (Ut supra ad Philip.): *Deus est, qui operatur in vobis et velle, et perficere.* At si hoc ita est: Eadem Dei gratia efficax pro uno, efficax quoque foret pro omni alio. Nam hac in hypotesi, qua gratiae efficacia cum suo effectu necessario statuitur connexa, eo nunquam carere posset, neque vim suam in uno exercere, minus vero in alio; Atqui ex Domini Salvatoris Doctrina, gratia, quae pro Corozain, et Betshaida fuit inefficax, efficax fuisset pro Tyro, et Sydone; ait siquidem (Cap. XI. v. 21): *Væ tibi Corozain, væ tibi Betshaida: quia si in Tyro, et Sydone factae essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere paenitentiam egissent.* Ergo etc. Volunt alii, gratiae efficaciam repetendam esse ex quadam ipsius congruitate cum voluntate humana: ita quod illa gratia sit efficax, quam Deus praevidet esse talem, et dari tali modo, et tali tempore, ut revera ipsi voluntas consentiat. At in istorum sententia, gratia efficax eadem est ac gratia sufficiens, quae ideo efficax evadit, quia datur a Deo tali homini, et tali

modo, et tali tempore, et in tali circumstantia. Insuper Deus, ut gratia haec suum obtineat effectum, non potest eam donare quando vult, sed quando novit eam congruere cum voluntate; volenti ergo Deo sinceram peccatoris conversionem et poenitentiam, expectandum esset tempus, in quo praevidit voluntatem humanam libere consentire gratiae, et gratiam cum voluntate congruere; Verum hoc non cohaeret cum definitione Concilii Arausicani II. dicentis (Canone IV.): *Si quis contendit, Deum expectare voluntatem, ut purgemur a peccato: non autem facere ut velimus converti, resistit Spiritui Sancto dicenti: praeparatur voluntas a Domino.* Volunt tandem alii, gratiæ efficaciam *in actu secundo*, hoc est in esequutione, pendere a libera nostrae voluntatis cooperatione, Et recte quidem; Nam gratiae utcumque efficaci, humana voluntas resistere potest; adeoque ipsa effectu frustrari. Effectum ergo suum consequitur, quia voluntas humana consensit. Quare sicut Deus conqueritur de resistentia, quam homo ex parte voluntatis suae facit gratiae ipsius, dicens (Proverb. Cap. I. v. 24.): *Vocavi, et renuistis* (Matthaei Cap. XXIV. v. 37.): *Quoties volui cogregare filios tuos . . . . et noluisti* (Actorum Cap. VII. v. 56.). *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*; Ita laudat hominem qui potuit facere malum, et non fecit; et praemio aeterno afficit eos, qui gratiae consentientes, bona opera faciunt aeternae vitae meritoria. At hic, quaero: voluntas consentiendo gratiae, unde illa efficax evadit, consentit suis viribus, an vi alterius gratiae cooperantis cum ipso? Suis viribus? Haudquaqum; hoc namque est falsum (§. 130.): Viribus gratiae alterius cooperantis? Utique (§. 152.); Ergo ut gratia obtineat effectum suum, opus est, liberum arbitrium alia gratia cooperante adjuvari. Sed quaeso: gratia isthaec cooperans, qua voluntas infallibiliter gratiae efficaci assentitur, et bonum opus exequitur, est ne simpliciter suffici-

ens, an efficax? Sufficiens, non: alias non obtineret effectum; Efficax? certe; Ergo ut gratia efficax suum obtineat effectum, alia gratia efficaci opus habet: et haec alia efficax, unde suam efficaciam habet? . . . Fateamur imbecillitatem nostram, et cum Apostolo exclamantes, dicamus (Roman. Cap. XI. v. 32.): *o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut qui prior dedit illi, et retribuetur ei?* Quod nos scimus; *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*; gratiam proinde, quae dat nobis et velle, et posse, et perficere bonum opus, donum ipsius esse gratuitum (§. 130.); scimus liberum arbitrium, etsi viribus attennatum, posse gratiæ dissentire, quantumvis efficaci (§. 154.), scimus tamen, non dissentire, quia talis gratia producit effectum (§. 151.); quomodo autem efficacia gratiae liberum non laedat arbitrium, et quomodo liberum arbitrium stet cum efficacia gratiae, magnum in Theologia mysterium est, quod novit ille, cui omne cor patet, et quem nullum latet secretum (Ecclesia.). Novit ille, qui de vasis iracundiae, et vindictae facit vasa misericordiæ. Novit ille, qui *potens est* (Matthæi Cap. III. 2. 9.) *de lapidibus his suscitare filios Abrahæ*. Novit tandem ille, qui vult æternam beatitudinem esse simul ipsius donum gratuitum, et justitiæ coronam, operibus nostris bonis debitam (1).

---

(1) Vid. D. Paulus I. Corinth. Cap. IX. v. 25. II. ad Timot. Cap. IV. v. 18.

CAPUT VI.

De Gratia sufficienti.

§. 155. *Def.* 1. *Gratia sufficiens*, prout distinguitur ab efficaci, ex Concilio Tridentino (Sess. VI. Can. 4.): *est interna motio, atque excitatio, cui liberum arbitrium potest dissentire, si velit.* Clarius. *Gratia sufficiens specifice sumpta est illa, quæ quantum in se est, praebet illi cui datur vires sufficientes ad ponendum effectum, ad quem ultimate datur, effectus tamen non ponitur, quia hominis voluntas ei dissentit.* An detur hæc gratia

Dissidium est inter Auctores.

§. 156. Martinus Lutherus nullum discrimen inter gratiam efficacem, et mere sufficientem agnoscit; sed gratiam tantum efficacem admittit, vel si sufficientem nominat, gratiam intelligit quae effectu suo non frustratur. Hinc loquendo de gratia sufficienti in sensu Catholico, inquit: Quid est vis inefficax, quae auxilio sufficienti tribuitur, nisi plane nulla vis? loquendo autem de gratia sufficienti in sensu suo, eam dicit solis prædestinatis concedi; neque Judaeis fuisse concessam, ut Legem servarent. A Luthero non dissentit Calvinus, qui insuper addit, ob defectum gratiae, etiam in praesenti statu Legis Evangelicae, impossibilem esse Legis observantiam. Bajani omnem gratiam sufficientem post hominis lapsum repudiarunt. Idipsum fecit Cornelius Jansenius, cui adhæsit Quesnellus cum aliis. At eos in meridiana luce caecutire invicte demonstrant Theologi Catholici.

PROPOSITIO I.

In praesenti statu naturae lapsae, praeter gratiam efficacem, admittenda est gratia mere sufficiens.

§. 157. Prob. I. Gratia sufficiens est illa, cui voluntas hominis resistit, propter quod ipsa frustratur effectu, ad quem datur (§. 155.); Atqui datur gratia hujusmodi; Ergo in praesenti statu etc. Prob. min. variis momentis a Sacra Scriptura petitis. Apud Isaiam ita queritur Dominus (Cap. V. v. 5.): *Habitatores Jerusalem, et viri Juda judicate inter me, et vineam meam. Quid est quod debui facere vineae meae et non feci? Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Deus ergo nihil defuit Populo Judaico, et auxilia dedit, queis bona facere potuisset, si voluisset. Quod si pro uva, hoc est bono, fecit labruscas scilicet malum, in caussa fuit defectus voluntatis, quo consentire noluit auxiliis a Deo datis. Hinc apud eumdem Deus ipse testatur (Cap. LXV. v. 2.): *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem*; et in Proverbiis (Cap. I. v. 24.): *Vocavi, et renuistis etc.* Si ergo Deus vocavit, si extendit manus, gratias utique concessit ad bonum agendum sufficientes; sed bonum non est gestum, quia voluntas renuit, imo contradixit; Ergo etc. Deinde apud S. Matthaeum (Cap. XXIII. v. 37.) ait Jesus Christus ad Jerusalem: *Jerusalem . . . . quoties volui congregare filios tuos, quaemadmodum gallina coegregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Volebat itaque Christus Judaeos congregare, hoc est discipulos suos efficere, et membra Ecclesiae suae; quomodo autem congregare? utique vi gratiae suae; dixerat namque (Matth. Cap. XI. v. 27.): *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Dedit ergo Jesus Israelitis gratiam qua congregarentur in suum ovile; quare igitur

congregati non fuerunt? quia noluerunt. Ergo etc. Tandem, ut alia plurima taceamus, in Apocalypsi (Cap. III. v. 20.) ait Christus ipsemet: *Ego sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Quantum ergo ex se est, dat ipse vires, et auxilia, pulsat gratia sua hominis cor, ut bonum faciat, culpa est hominis si bonum non facit, quia gratiae resistit. « Si quis, ait S. Ambrosius (In Psal. 118.), peccatorum suorum receptaculis obserandam mentem propriam judicaverit, » et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi » inferat insipientiae caecitatem; causari poterit, » quod Sol justitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis caelestis arguere? Pulsat januam tuam » Dei Verbum; si quis mihi aperuerit, inquit, intrabo. Si quis ergo non aperuerit; numquid non » ingredientis, et non magis non aperientis est culpa? Ergo etc.

§. 158. Prob: 2. ex Conciliis. In Concilio Arausicano II. (Cap: 21.) ita statutum legitur: *Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* In Concilio Coloniensi (p. 7. Cap: 32.) hæc leguntur: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat quod non trahatur: quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum et externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima.* Tandem Tridentinum pluribus in locis gratiæ sufficientis existentiam ostendit. Brevitatis caussa audiatur solum, quod (Cap: XI. Sess. 6.) de justificatione dicit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possit, et petere, quod non possit.* Si ergo, ex dictis, hominibus

datur auxilium, quo possint ea efficere, quae ad salutem consequendam requiruntur, nihilominus ob perversam voluntatem, ad salutem non perveniunt, patet luculentissime dari gratiam sufficientem. Idipsum docent unanimiter Patres, inter quos S. Augustinus innumeris locis.

§. 159. Prob. 3. hac ratione. Si non daretur gratia sufficiens, dicendum foret, aut Deum nullam hominibus dare gratiam, aut omnem ejus gratiam esse efficacem. Atqui neutrum dici potest: Non primum quia sine gratia non potest homo aliquod bonum supernaturalis ordinis efficere (§. 130.); et aliunde constat, hominem multa hujusmodi bona perpetrare; non secundum, quia si omnis gratia esset efficax, consequeretur effectum, quod est falsum; Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 160. *Objic.* 1. Innumera sunt Sacrae Scripturae loca, quae clarissime ostendunt Dei gratiam, effectu suo non frustrari; nullam esse gratiam, cui ab humana volantate resistatur; Ergo praeter gratiam etc.

§. 161. R. dist. maj. Innumera etc., et illa de gratia efficaci sunt, sine exclusione gratiae sufficientis, conc., cum exclusione, n. ans, et consm. Innumera quidem sunt Sacrae Scripturae loca, in quibus de gratia Dei efficaci sermo est (§. 153.); at innumera quoque sunt ejusdem Sanctae Scripturae loca in quibus de gratia mere sufficienti agitur (§. 157.). Quare utramque, Dei verbo duce, profiteri debemus neque alteram alterius excludi consortio: hoc tamen cum discrimine, quod sufficiens dat posse bonum agere; ipsum actum bonum efficax concedit.

§. 162. *Contra.* Atqui illa Sacrae Scripturae loca de gratia sufficiente intelligi debent; Ergo etc: Prob: subsm. Gratia sufficiens non consequitur effe-

ctum suum; Ergo frustra datur; Atqui hoc est absurdum, quia Deus nihil dat frustra; Ergo non dat gratiam sufficientem. Adeoque etc.

§. 163. R. Ex quo gratia sufficiens non consequatur suum completum effectum, defectu consensus humanae voluntatis, non sequitur eam frustra dari a Deo. Nam gratia haec ex parte Dei, qui eam concedit, semper consequitur effectum proximum, et generalem, ad quem obtinendum Deus eam concedit: de facto instruit homines de mediis ad salutem consequendam necessariis, illisque vires sufficientes praebet, ut eam de facto obtineant; quod si non obtinent, in causa est humanum arbitrium, quod dissentit.

§. 164. *Contra*. Atqui non datur gratia sufficiens, quae non producit effectum, ad quem a Deo conceditur; Ergo n. r. Prob: subsm. Deus vult sincere omnium hominum conversionem, et salutem; Ergo quoties ad peccatorum conversionem elargitur gratia, ista gratia utique est efficax, non simpliciter sufficiens; Adeoque etc.

§. 165. R. dist: ans. Deus etc:, voluntate antecedente, conditionata, atque inefficaci, conc:, voluntate consequente, absoluta, atque efficaci, n. ans; Ergo etc: dist: 1. cons. Quando absolute, efficaciter, et consequenter vult peccatoris conversionem, conc:, secus, n. consm. utramque. Deus utique vult sincere omnium hominum salutem, at voluntate antecedenti (§. 189. T. III.); et quantum ex se est dat quoque omnibus media ad talem salutem consequendam sufficientia (§. 249. ibid:); quod si non obstante tali sua voluntate, non omnes nihilominus salvantur, id est, quia gratiae Dei deest consensus ex parte voluntatis humanae, qui consensus necessarius est, ut gratia sortiatur effectum suum, et efficax dicatur.

§. 166. *Objic*. 2. Si daretur gratia sufficiens, cui humana voluntas resistere posset, jam discretio inter

bonum, malumque hominem, qui aequalem gratiam sufficientem receperunt, non ex Dei gratia, utpote æquali, proveniret; Sed a solo libero arbitrio; Atqui hoc est contrarium Sacrae Scripturae, Patribus, atque Theologis; Ergo etc.

§. 167. R. n. sequelam maj:, conc: min:, n. consm. Quamvis gratia sufficiens æqualis foret in illis duobus hominibus, quorum unus gratiæ consentiret, alter reluctaretur, semper tamen verum est 1., quod gratia efficit ut homo assentiens operetur bonum, cum sine gratia nihil possimus: Secundo ipsa prius, quam homo, bonum promovet; tertio Dei instrumentum est: Postremo causa supernaturalis est. Ipsa ergo in opere bono praecipuas, nobilioresque habet partes. In ipsa proinde potius, quam in libero arbitrio refundenda est discretio inter duos homines, in hypothesi propositos.

§. 168. *Contra.* Atqui ille potius, qui gratiae consentiret, alio reluctante, est caussa principalis suæ discretionis; Ergo n. r. Prob: subsm. Ille potius applicaret, atque determinaret Dei gratiam ad agendum, quam non determinaret alius; Ergo ille potius etc.

§. 169. R. n. ans. Nam gratia ex se est determinatio, impulsio, et inclinatio ad bonum. Iam vero absurdum est dicere, determinationem determinari, impulsionem impelli, inclinationem inclinari; sicuti absurdum est dicere, calorem calefieri; qui ergo gratiae assentiretur, altero reluctante, gratiam non determinaret, sed potius gratiae impulsum sequeretur; quare non esset caussa vel unica, vel princeps suae discretionis.

§. 170. *Contra.* Atqui gratiam determinaret; Ergo n. r. Prob: subsm. Gratia se haberet in voluntate, sicut pennicillus in manu pictoris; pennicillus pictorem non determinat, sed potius applicatur ab illo; Ergo etc.

§. 171. R. neg: maj. Exempla hujusmodi ab

Adversariis afferri solita, ridicula prorsus sunt, et omnino falsa. Nam gratia non hominis, sed Dei est instrumentum: respectu autem hominis est concaussa, et quidem principalior, bonum opus respiciens: Unde ab ea potius repetenda est discretio inter bonum, malumque hominem.

PROPOSITIO II.

Gratia sufficiens datur etiam Infidelibus, et peccatoribus.

§. 172. Prob. 1. de Infidelibus. Deus, ut scribit Apostolus ad Timotheum (Epist. I. Cap. II. v. 4.): *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Atqui sine fide nemo salvabitur; et sine gratia, fides, imo ipsum fidei initium haberi nequit (§. 90.); Ergo etc. Quare S. Augustinus explicans illa Davidis (Psal. 18. v. 9.): *Non est qui se abscondat a calore ejus*, inquit: « Non » permisit ullum mortalium excusare se de umbra » mortis: ipsum enim penetravit Verbi calor ». Ergo etc.

§. 173. Prob. 2. de Peccatoribus. Per Prophetam Ezechielem (Cap. XXXIII. v. 11.): *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat;* Sed conversio est opus supernaturalis ordinis, quod sine gratia fieri nequit (§. 130.); Ergo si Deus vult peccatoris conversionem, et vitam, gratiam ei donat; Adeoque gratia sufficiens datur etiam peccatoribus. Hinc merito dicitur in Concilio Valentino (Anno 853. Cap. II.) *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.*

Adversariorum argumentis occurritur.

§. 174. *Objic.* c: 1. p. Infideles nulla gratia donantur : ergo etc ; Prob: ant : Fides est prima gratia: Ut enim D. Augustinus (Lib : de praedestinatione SS. c. 7.) ait « : Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cæterae, quæ proprie operare nuncupantur, in quibus juste vivitur ; Atqui Infideles fidem non habent : Ergo etc.

§. 175. R. dist: maj : Absolute n. maj : proxime disponens ad justificationem, et ad juste vivendum conc: maj: , et dist : min :, absolute, n. min :, proxime disponente ad justificationem, conc : min, et n. cons : Plura in Infideli præcedunt fidem, quae proxime disponit ad justificationem, et ad juste vivendum; nam eam praecedunt conatus, desideria, et caetera hujusmodi, quae animam ad conversionem et fidem remote dirigunt. Iam vero conatus, desideria, et cætera hujusmodi, sunt ne gratiæ divinitus collatæ? Utique; et nonnisi Hæreticus Semi-Pelagianus inficiari potest; sunt vero ipsa fides? Si nomine fidei intelliguntur fides perfecta, illa nempe gratia, quae proxime disponit ad justificationem, atque juste videndum, non sunt fides : si autem intelliguntur fides inchoata, illa nempe gratia, quæ remote disponit ad justificationem, sunt fides. Quapropter fides duplici ratione dici potest prima gratia ; Primo absolute, consistens in conatibus, desideriis, stimulis conscientiæ etc ; secundo relative, quatenus est proxima dispositio ad justificationem. Illam inchoatam habent etiam Infideles, qui etsi non conentur nec desiderant fidem, stimulis tamen conscientiae admonentur, ut legem naturalem observent, et inde moneantur fideles gratiam recipere. Hanc vero nonnisi illi habent, qui explicite incipiunt credere in Christum, et ad justificationem proximi sunt. De hac porro fide, non de illa loquitur, loco allato D. Augustinus, quippe loquitur de fide, qua

impetrantur cætera ad bene agendum, et juste vivendum. Hæc autem est fides non inchoata, sed perfecta.

§. 176. *Contra*. Atqui per Augustinum, fide etiam inchoata aliqui Infideles destituuntur; Ergo n. r. Prob: subsm. Idem S. Doctor (Lib: de praedest: cap: 9.) « inquit »: fides hæc inchoata, et perfecta donum Dei est, et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissime Sacris litteris repugnare: Ergo etc.

§. 177. R. dist: ant: destituuntur fide inchoata quoad actum:, conc: antec:, quoad posse saltem remotum, n. antec:, et: consm. Gratia, quam omnibus dari propugnamus, est auxilium supernaturale a Deo immissum in anima quod ipsa recipiens, vitaliter quidem operatur, non tamen deliberate, videlicet eo recepto auxilio, se motam sentit, quin ipsa circa hujusmodi motum aliquid deliberaverit. Hoc auxilio suffulti possunt omnes infideles ad Deum converti, sed non omnes convertuntur; Qui non convertuntur habent fidem inchoatam quoad posse saltem remotum; qui vero immisso Divino auxilio cooperant, atque incipiunt legem observare, fidem desiderare, atque ad fidem recipiendam conari, habent fidem inchoatam, quoad actum. Porro non de illis, sed de istis loquitur D. Augustinus cum adfirmat, quod etiam fides inchoata quibusdam datur, quibusdam non datur. Nam hæc S. Doctoris auctoritas est quaedam illatio, quam ipse deducit ex pluribus Sacrae Scripturæ auctoritatibus ibidem relatis. Quas autem ibidem refert Sacræ Scripturae auctoritates, sunt illæ quibus dicitur, quod aliqui audito Evangelio, credunt, alii non credunt; ergo cum ex illis concludit, quod etiam fides inchoata, aliquibus datur, aliquibus non datur, intelligit, non illam fidem inchoatam, quae a Deo immittitur in anima vitaliter, sed non deliberate operante, quaeque dat posse saltem remotum ad conversionem; sed illam fidem inchoatam, quae elicit aliquem actum delibe-

ratum disponentem ad fidem recipiendam, ut accidit Cornelio, qui fide inchoata quoad posse recepta, cœpit eleemosinas erogare, alia pia opera agere, atque ita ad perfectam fidem recipiendam dispositus, dignus effectus est ut D. Petro audiret Evangelium, et crederet. Iam vero nos etiam concedimus, quod fides inchoata, quoad actum, non omnibus datur: et solum volumus, quod omnibus concedatur fides inchoata, quoad posse saltem remotum.

§. 178. *Contra.* Atqui S. Augustinus gratiam omnem sufficientem excludit. Ergo a capite argumentum. Prob: subsm. Ipsemet (Lib: de dono perseverantiae cap: 9.) ait: « ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur autem iste ita vocetur ut vocantem sequatur: Ille autem aut non vocetur, aut ita vocetur ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei ». Illis disjunctivis verbis, ille autem » aut non vocetur » aperissime significat negari aliquibus vocationem etiam sufficientem.

§. 179. R. dist: vocationem sufficientem proximam ad fidem suscipiendam, conc:, sufficientem, remotam n.; Duplicem distinguimus vocationem sufficientem ad fidem suscipiendam, quarum una remota est, proxima altera. Remota est vocatio, seu auxilium supernaturale collatum ad Legem supernaturalem observandam. Proxima est vocatio, seu auxilium supernaturale collatum ad fidem desiderandam, seu recipiendam. De proxima, non de remota vocatione loquitur Augustinus, cum dicit « ille autem aut non vocetur »; significat nempe, quod Deus non omnibus dat gratiam suam, qua proxime fidem recipient, atque ad eam accipiendam conentur, non vero significat quod Deus aliquibus denegat gratiam, qua legem naturalem possint observare, et ita ad fidem suscipiendam remote disponi. Fatemur quod si locus iste tantum S. Doctoris attendatur, videbitur ipse nobis adversari. Verum non ex hoc tantum, sed et ex aliis

locis docet D. Augustinus, quod Dei patientia expectat quoscumque impios quoad usque in vita sunt, et quod Infideles non veniunt ad fidem, non quia non possunt, sed quia nolunt; signum est ergo, quod ex mente Augustini, omnibus datur gratia, qua converti possint, ut pluries diximus.

§. 180. *Objic.* c. 2. p. Gratia est Donum; Atqui donum non omnibus datur; Ergo etc.

§. 181. R. Conc. Mai. D. min: donum gratiæ, qua omnes salvari possunt, neg. maj:, alia dona, trans: min., et N. C. Quidquid sit de aliis donis, certum, est quod omnibus datur donum gratiae, qua omnes salvari possunt, quippe Deus sincere vult omnes homines salvos fieri: Unde fit ut omnibus subministrat media, quibus salvari possunt; cum autem adulti sine interioris gratiæ auxilio salvari nequeunt, hoc eis elargitur.

§. 182. *Contra.* Atqui nec hujusmodi donum gratiae omnibus datur; ergo etc. Prob. subsm. Si gratia omnibus datur, gratia est quid commune: Atqui gratia non est quid coommune, dicente D. Augustino « commuuis est omnibus natura, non gratia » (serm: II. de verbis Domini. Cap: 4.); ergo etc.

§. 183. R. dist: maj: ratione subjecti, n. maj: largitione donatoris, conc: maj: Vice versa dist: min:, n. consm. Utique non est communis gratia, sicut natura; quippe natura omnibus hominibus communis est ratione subjecti; hoc ipso enim quod homines sint, habent naturam omnibus hominibus communem; Non ita vero se habet gratia. Ea namque est quidem omnibus communis, non tamen qua homines sunt, sed quia Deus eam omnibus, propter suam bonitatem, elargiri vult. Ad Augustinum, quod spectat, agit ipse laudato loco contra Pelagianos adfirmantes, quod natura est gratia, eosque revincit dicendo, quod natura est omnibus communis, non gratia. Idque quoad gratiam justificationis peculiariter idem probat, dicens,

Gratiam justificationis non esse omnibus communem; quia scilicet non omnes justificantur; ex quo patet quod S. Doctor non loquitur de gratia, qua omnes salvari possint, sed de gratia, qua de facto justificantur aliqui. Hanc porro non omnibus communem esse et nos cum Augustino fatemur, quia revera non omnes gratiam justificationis recipiunt.

§. 184. *Contra*. Atqui ex Augustino, nulla gratia omnibus hominibus communis est; ergo etc. P. ant: S. Augustinus (Epist. 107.) ait. » Scimus gratiam non omnibus dari, et quibus datur, non secundum merita datur. Et Lib: de correptione et gratia (C. II.) ait « Sunt autem quibus deest tale adjutorium, jam paena peccati est »; et alibi dicit, quod pagani non habent gratiam Dei per Jesum Christum; ergo etc.

§. 185. R. dist. ant. omnibus non datur gratia qua salvari possint, neg: ant:, non datur gratia, qua aliqui de facto justificantur, legem servant, ac salvantur, conc: ant:, et nego consm. Duplicem D. Augustinus gratiam agnoscit: Una est, qua credunt, justificantur, salvantur quicumque credunt, justificantur, salvantur; Altera qua omnes salvari possunt, si volunt. Illa non omnibus dari affirmat, ut manifestum est ex locis allatis, et ex aliis innumeris, quæ afferri possunt. Hanc omnibus indiscriminatim hominibus dari docet, et sane in Psalmo 18. ad illa verba. *Non est qui se abscondat a calore ejus*, inquit S. Doctor « Non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis. Et ipsam enim penetravit Verbi calor; quod certe gratiam omnibus dari demonstrat: Nam si aliqui interioris gratiæ auxilio destituerentur quo salvari possent, aliqui se excusare possent, dicendo quod peccato liberari non potuerint; quod tamen per Augustinum falsum est.

§. 186. Constat idipsum pluribus ejusdem S. Doctoris locis, quibus dicit, quod qui non salvantur, hoc est, quia nolunt; quod Dei patientia expectat que-

libet peccatorem, dum adhuc in mundo est, et caetera hujusmodi. Nam si per Augustinum aliqui damnantur quia salvari nolunt; patet quod salvari possunt. At per ejusdem principia, nullus sine interioris gratiæ auxilio salvari potest. Item Dei patientia secus non expectaret quemlibet peccatorum, si cuilibet non conferret interiorem gratiam, qua ad ipsum ire possent. Quare D. Augustinus non est contra nos: Imo nobis favet, qui adfirmamus, quod Deus omnibus elargitur non gratiam, qua de facto credunt, justificantur, salvantur, sed qua salvari possunt, si volunt.

§. 187. Instant tamen Semi-Pelagiani dicentes, quod omnes reciperent gratiam conversionis, si eam propria voluntate non respuerent. Et tamen eos reprehendit D. Augustinus Epist. 107.

§. 188. R. Reprehendit, quia docent quod a puris naturalibus viribus pendet gratiæ collatio; Ita ut eam recipiant, quia eam naturaliter volunt, quod Hæreticum est, quia nullus sine supernaturali gratiae auxilio converti potest ad Deum

§. 189. Repetunt, quod Augustinus lib: de prædestinatione sanctorum cap: 3: dicit, gratiam discernere bonos a malis, eamque non omnibus esse communem.

§. 190. R. Merito hoc dicit, quia ibi loquitur de gratia perfecta, quae cum conversione, et salute conjungitur: Hæc enim bonos a malis discernit, et omnibus communis non est: Gratia vero, de qua nos loquimur, non discernit bonos a malis, quia et bonis, et malis communis est.

§. 191. *Animad.* Ut reliqua universalia adversariorum argumenta in rem hanc pugnantia evanescant, advertendum est, quod Deus, gratiam hanc actualem omnibus elargitur quidem, non tamen omnibus momentis, sed cum expediens est: et præsertim cum instat observandum præceptum, et cum gravis tentatio urget. His enim in casibus, Deus sua gratia conscientiam remordet, ac stimulis mentem afficit ad hoc,

ut tentationi non consentiat, et praeceptum observet. Hæc significatur cum (Ioa: 1.) dicit, quod Christus Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. Item advertendum, quod Deus hujusmodi gratiam concedit omnibus hominibus, ad hoc, ut ad ipsum mediate, vel immediate converti possint, non vero concedit gratiam qua, de facto convertantur, quia si hanc concederet, omnes de facto converterentur: nec etiam ad hanc gratiam omnibus concedendam tenetur ex suppositione, quod habeat sinceram voluntatemu salvandi omnes, sicut revera habet, ut demonstravimus, quia hujus voluntatis vi, tenetur quidem Deus dare omnibus gratiam qua salvari possint, quia secus omnium salutem sincere non vellet, sed non tenetur expugnare, ac vincere voluntatem ejus, qui vult esse malus, licet bonus esse possit: liberam enim voluntatem cuilibet dedit, et ideo, etsi velit omnium salutem, tamen non tenetur sua gratia vincere voluntatem eorum, qui propriæ libertatis abutentes, mali esse volunt.

§. 192. Dices. *Fides est ex auditu*, ait Apostolus (Cap. X. v. 14. 15. 17.); *auditus autem per verbum Christi.* Et sane *: quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur.* Ut ergo infidelis fidem recipiat, necesse est ei praedicetur, et praedicetur a viris a Deo missis; Atqui viri a Deo missi aliquando prohibiti sunt Evangelium Infidelibus praedicare; hinc legitur de Paulo et Timotheo (Actorum Cap. XVI. v. 6.), quod *vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia;* et cum *tentabant ire in Bithyniam*, Evangelium utique prædicaturi, *non permisit eos Spiritus Jesu;* Ergo etc.

§. 193. R. Verum est aliquando Infidelibus, pro aliquo tempore, vel ob eorum malam dispositionem, vel occulto, sed justo Dei judicio, suspendi, vel de-

negari gratiam praedicationis verae fidei, qua convertantur, non negantur tamen eis alia Dei auxilia, queis digni habeantur, ut eis Evangelium praedicetur. Certe non omnibus et singulis unico, et eodem tempore praedicatum fuit Evangelium, sed successive, modo uni, modo alteri populo, prout Spiritus Domini, Sanctos praedicatores dirigebat; quod ergo aliqui aliis postpositi fuerint in annuntiatione Evangelii, id non fuit eis gratiam penitus denegare, sed suspendere. Hinc licet aliquando prohibiti fuerunt Paulus, et Timotheus loqui Verbum Dei in Asia, transacto tempore, per biennium ibi Paulus Evangelium praedicavit, *ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi, atque Gentiles* (Actorum Cap. XIX. v. 10.).

PROPOSITIO III.

Gratia sufficiens datur quoque induratis, atque obcoecatis.

§. 194. Prob. Apud S. Matthaeum ait Christus (Cap. XI. v. 28.) · *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis;* (gravati nempe, atque oppressi ingentibus culpis, ait S. Hieronymus in hunc locum), *et ego reficiam vos.* Omnes itaque, etiam induratos, vocat; ergo gratiam eis sufficientem donat. Deinde in Actis Apostolorum (Cap. VII. v. 51.) ita Judaeis loquitur S. Stephanus: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Si ergo Judaei erant durae cervicis, indurati nempe, et Spiritui Sancto, gratiae scilicet semper resistebant, etsi obdurati, et excoecati, gratia non privabantur. Tandem ad Romanos scribens Paulus, ait (Cap. III. v. 4. 5.): *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas*

tibi iram in die iræ. Benignitas ergo Dei etiam duros corde, et impœnitentes ad pœnitentiam vult adducere, et quantum ex se est, gratia sua adducit, sed illi thesaurizant sibi iram, quia poenitere se nolunt, et a via iniquitatis suae resilire.

§. 195. Prob. 2. ex Patribus. S. Augustinus (Serm. XI. de verbis Dom. Cap. 13.): « De nullo » inquit, desperandum est, sive intus, sive foris fue» rit, sive in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, quam» diu patientia Dei ad poenitentiam adducit, nec de » hac vita rapit impium ». S. Fulgentius ita loquitur (Epist. VII. Cap. VIII.): « Sicut medico no» stro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo » tempore caelestis potest deficere medicina ». Tandem » S. Thomas, ita supra hanc rem clare se explicat » (III. P. q. 86. v. 1.), inquiens » : dicere quod » aliquod peccatum sit in hac vita, de quo aliquis » poenitere non possit, erroneum est, quia per hoc » tolleretur libertas arbitrii, et derogaretur virtuti » gratiae, per quam moveri potest cor cujuscumque » peccatoris ad poenitendum ». Ergo etc.

§. 196. Dices. Obduratio ex D. Augustino (Epist. 105.) oritur ex gratiae subtractione; « Nam non » obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non im» pertiendo gratiam »; Ergo falsa propositio.

§. 197. R. duplex obduratio distinguenda est; prima consistit in subtractione cujuscumque gratiae, et haec propria est damnatorum, atque Daemonum, qui sunt extra omnem salutis spem; secunda consistit in subtractione tantum alicujus gratiae specialis, quo corda peccatorum efficaciter ad poenitendum moverentur, concedendo interim alia sufficientia auxilia, quibus assentiri si vellent, converti possent, quamvis de facto, ob perversam resistentem voluntatem, non convertuntur. Non de prima itaque, sed de secunda obduratione loquitur Augustinus. Hinc explicans illa verba Pauli ad Romanos: *dedit illos in reprobum*

sensum. « Ea est, inquit (Enarrat. in Psal. VI. 8.), » caecitas mentis; qua quisquis sua pravitate permanenter laborat, ab interiori Dei luce secluditur, sed » nondum penitus cum in hac vita est, spe coecitatis per gratiam curandae confisus ».

Quaeres. *An gratia sanctificans* (§. 31.) *diversa sit a Charitate?*

§. 198. R. duplex est Theologorum sententia. Quidam cum Angelico Doctore (2. q. 110. art. 3.) volunt, gratiam, et charitatem esse habitus realiter distinctos; eos autem esse indistinctos adfirmant alii plurimi, e contra, cum Subtili praeceptore. Probabilius tamen nos putamus, hos habitus, gratiam nempe sanctificantem, et charitatem realiter non distingui. Nam gratia sanctificans, et Charitas producunt eosdem effectus; Siquidem, ex Theologorum sententia, sex potissimum sunt gratiae sanctificantis effectus; 1. nempe efficit nos filios Dei; 2. reddit nos Deo acceptos, et gratos; 3. vitam spiritualem nobis confert; 4. nos Deo conjugit; 5. est gratia sanctificans radix omnium bonorum operum, et 6. est semen vitae aeternae, et salutis nostrae caussa; Jam vero eosdem effectus Charitas producit; per ipsam enim 1. filii Dei efficimur; quia (Joann. Epist. I. Cap. IV. v. 7.): *omnis qui diligit ex Deo natus est*; 2. Deo accepti reddimur; inquit siquidem Christus Dominus (Apud Joan. Cap. XIV. v. 21.): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo;* 3. vitam spiritualem consequimur, ut ait S. Joannes (Epist. I. Cap. III. v. 14.): *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte*; 4. Deo conjugimur; etenim (Ibid. Cap. IV. v. 16.) *qui manet in*

---

(1) Vid. Frassen De Gratia suffic. Tournely Tomo III. q. 8. art. 4.

charitate, in Deo manet, et Deus in eo; 5. ipsa est radix omnium bonorum operum; Nam ait Apostolus (Epist. I. ad Corinth. Cap. XIII. v. 2. 4.): *Si Charitatem non habuero, nihil sum; Charitas patiens est, benigna est etc.* 6. tandem est semen vitae aeternae; unde S. Jacobus Apostolus (Cap. I. v. 12.): *Coronam vitæ*, ait, *quam repromisit Deus diligentibus se.* Ergo gratia sanctificans, et charitas sunt unus idem habitus.

CAPUT VII.

De Justificatione, et gratia ad eam obtinendam requisita.

§. 199. *Def.* Justificationis nomine, ex Concilio Tridentino (Sess. VI. Can. 4.), nihil aliud hic intelligitur, quam *translatio de statu peccati in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per Jesum Christum Salvatorem nostrum.*

§. 200. *Coroll*: Justificatio itaque duo importat; nempe 1. peccatorum remissionem, et 2. gratiae infusionem; alterum quorum si desit, non est vera justificatio. Et sane ille justificatus vere dici potest, qui nedum peccato caret, sed insuper gratia praeditus est. Sed datur ne sic exposita Justificatio?

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 201. Adfirmant Theologi Orthodoxi, sed veritatis hostes Haeretici adfirmare detrectant. Ac primus quidem, qui justificationi adversari videtur, Basilides fuit, qui Dei benignitati veluti limites praescribens, inquit, non omnia peccata a Deo remitti, sed tantum involuntaria. Hunc sequuntur Novatiani, impie effutientes, peccata post Baptismum commissa nullam spem remissionis posse habere. Recensiores Haeretici;

justificationem peccatorum dari concedunt, at non in Catholicorum, et Ecclesiae sensu. Contendunt namque Lutherani, et Calvinistae, in justificatione, peccata non vere remitti, atque omnino ab anima deleri, sed tantum tegi, atque occultari, ne ante conspectum Domini appareant; nec proinde imputari ad poenam; neque vere gratiam inhaerentem homini comunicari, sed tantum illi gratiam Christi imputari; hancque justificationem sola fide obtineri, quae illam apprehendit, et credenti communicet. Eorum itaque sententia, justus non est talis intrinsece, quia habet adhuc peccata, licet tecta, et occultata, sed extrinsece tantum, quatenus justitia Christi ei imputatur; nec aliud ad justificationem obtinendam, quam fides sola est necessaria. Haec et alia similia Haeretici, contra quos, sit.

PROPOSITIO I.

In Justificatione peccata vere remittuntur, delentur atque penitus tolluntur.

§. 202. Probatur. Nam Propheta David Deum laudans pro misericordia secum habita, inter alia inquit (Psal. 31. v. 5.): *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*; et alibi (Psal. 50. v. 2. 9.) eum rogans ut ipsius misereretur, inquit: *Dele iniquitatem meam: Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor*. Apud Isaiam dicit Dominus (Cap. I. v. 18.): *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*; et alibi (Cap. XLIII. v. 25.): *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor*; et (Cap. XLIV. v. 22.) *delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebu-*

lam peccata tua. Apud Joannem vero ait Christus Dominus discipulis (Cap. XX. v. 23.): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; vere quidem et realiter; Nam Dominus Jesus Christus (Joan. Epist. I. Cap. I. v. 9.): *Fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata*, ea penitus ab anima auferendo, *et emundet nos ab omni iniquitate.* Ipse etenim, *ideo apparuit ut peccata nostra tolleret* (Ibid Cap. III. v. 5.); talis nempe a Joanne Baptista monstratus fuit, cum dixit (Joan Cap. I. v. 29.): *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* Unde Princeps Apostolorum Judaeis ajebat (Actor. Cap. III. v. 19.): *paenitemini, et convertimini ut deleantur peccata vestra.* Peccata itaque in justificatione non jam teguntur, sed penitus auferuntur, non solum non imputantur ad poenam, sed penitus delentur, atque evanescunt ac si nunquam in anima fuissent; et anima per peccatum maculata, nigra, et sordida, velut nix alba evadit, absque ulla umbra, sorde, vel macula. Adeoque in justificatione, etc.

Dices. Propheta David inquit (Psal. 31. v. 1. 2.): *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;* Ergo in Justificatione peccata teguntur, et non imputantur, non vero penitus delentur, atque tolluntur.

§. 203. R. Laudata verba: *tecta sunt peccata*, non ita accipienda sunt, ut significent peccata tegi, occultari, abscondi; Nam Deo nihil est opertum et absconditum; quinimo (Hebr. Cap. IV. v. 13.): *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*; quomodocumque ergo peccata tecta, in sensu Calvinistarum dicantur, semper oculis Dei patent; quare si Deo (Sapient. Cap. XIV. v. 9.) sunt odio impius, et impietas ejus, homo peccator nec justus et Deo acceptus dici potest, neque proinde beatus. Si ergo beatus, si justus, et

Deo charus, qui justificatus est, non aliter profecto, nisi quia peccata ejus tecta sunt, hoc est penitus ablata, atque deleta, non amplius existunt in anima. Audiatur S. Augustinus (Enarrat. in Psal. 31.). » Cooperta sunt peccata, et tecta sunt, abolita sunt. » Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit » advertere, noluit animadvertere: si noluit animad- » vertere, noluit agnoscere . . . . Nec sic intelliga- » tis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi » sint, et vivant ». Ex his recte infertur quid ibi significent etiam verba illa sequentia: *non imputavit Dominus peccatum*; nempe totum peccatum a Deo esse remissum, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, neque amplius in justificatio existere. Quare « illa non » imputatio, ait optime Jacobus Tirinus in hunc locum, » ab Haereticis conficta, qua volunt, peccata nostra » vere permanere in nobis, sed a Deo non imputari, » prorsus impossibilis est; Nam Deus non potest res » aliter exstimare et imputare, quam uti revera in » seipsis sunt: si ergo peccatum vere maneret in ani- » ma, quomodcumque foret tectum aut velatum, ju- » stitia profecto imputativa Christi, eidem animae » numquam posset imputari a Deo ».

PROPOSITIO II.

Non aliqua tantum, sed omnia penitus peccata, sive ante, sive post Baptismum commissa in justificatione remittuntur.

§. 204. Prob. Nam per Ezechielem Prophetam (Cap. XVIII. v. 21.) ait Deus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Hinc Propheta Micheas ajebat (Cap. VII. v. 19.): *Deus . . . projiciet in profundum maris omnia peccata*

nostra. Apostolus pariter Joannes ait (Epist. I. Cap. I. 2. 7.): *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*; et paullo post: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate*; atqui praefata Divina oracula, peccata respiciunt, tam ante quam post Baptismum commissa. Ergo etc. (1).

PROPOSITIO III.

Homo justificatur non solum per veram peccatorum remissionem, sed etiam per intrinsecam infusionem gratiæ inhærentis.

§. 205. Prob. 1. ex Scripturis. Per Joannem inquit Christus (Cap. XIV. v. 23.): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Quare Apostolus ad Corinthios scribens (Epist. I. Cap. III. v. 16.): *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*? Atque Ephesios exhortans inquit (Cap. IV. 23. 24.): *Renovamini Spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate*. Joannes ipse, ut alios taceamus, ait (Epist. I. Cap. III. v. 9.): *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet;* et alibi (Ibid. v. 1.): *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus*. Ex quibus ita liceat argumen-

(1) Vide P. Franciscum a Breno Manuale Missionar. Tomo I. Lib. II. Cap. I. q. IV. qui fuse hanc materiam pertractat, atque opposita argumenta resolvit. Vide quoq. P. Bernardum a Bononia Inst. Theolog. Tomo II. Tract. VIII. q. I. Concl. III.

tari: Homo per justificationem manet apud Deum; imo templum Dei evadit; induit novum hominem; semen Dei in se manens habet, ita ut non solum nominetur, sed sit filius Dei; Ergo homo justificatur non per imputationem extrinsecam justitiae Christi, sed per veram, atque intrinsecam infusionem gratiae inhærentis.

§. 206. Prob. II. ex Concilio Tridentino (Sess. VI. Cen. X. LI.), in quo hæc de fide determinata leguntur. I. *Si quis dixerit, homines; sine Christi justitia per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter* justos *esse, anathema sit*. II. *Si quis dixerit, homines* justificari *vel sola imputatione* justitiæ *Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, illis inhæret: aut etiam gratiam, qua* justificamur *esse tantum favorem Dei, anathema sit*. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Gratia ad justificationem *requisita est gratia habitualis.*

§. 207. Probatur. Nam ad justificationem duo concurrunt (§. 200.): deletio nempe, sive remissio peccatorum, atque insuper gratia, quae in justificato manet, eique inhæret; Atqui hæe duo producit gratia habitualis, unde et *sanctificans*, atque *justificans* dicitur; Ipsa enim remittit peccata mortalia juxta promisionem Dei per Ezechielem (Cap. XXXVI. v. 5.) dicentis, *effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* et datur per modum habitus animæ inhærentis (§. 31.); Ergo etc.

Quæres. *Quænam sint caussæ* justificationis *impii.*

§. 208. R. ex Concilio Tridentino (Sess. VI.

Cap. VII.) sunt sequentes. Caussa efficiens principalis est Deus; Ait enim ipse (Isaiæ Cap. XLIII. v. 25.): *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*; Unde Job ei dicebat (Cap. XIV. v. 4.): *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Caussa meritoria est Christus per suam passionem, et mortem; Hinc Apostolus ad Romanos scribens, inquit (Cap. III. v. 24.): *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, etc.* Caussa instrumentalis sunt verbum Dei, et Sacramenta, praesertim illud Baptismi; Quare S. Jacobus Apostolus (Cap. I. v. 21.): *Suscipite*, ait, *insitum verbum, quod potest salvare animas vestras;* et Paulus ad Titum (Cap. III. v. 3.): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* et Christus Dominus apud Joannem (Cap. XX. v. 22. 23.): *Quorum remiserit peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Caussa materialis est hominis voluntas. Caussa formalis est ipsa Dei justitia; justitia quidem, *non qua ipse justus est*, inquit laudatum Concilium (1), *sed qua nos justos facit*; *qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem.* Caussa tandem finalis est gloria Dei, et Christi; necnon salus aeterna eorum, qui justificantur. Gloria quidem Dei; nam: *omnia propter semetipsum operatus est Deus* (Proverb. Cap. XVI. v. 4.); hinc *prædestinavit nos*

---

(1) Laud. in loco; et jam dixerat Augustinus Lib. de Spiritu, et lit. Cap. IX.

scribit Apostolus ad Ephesios (Cap. I. v. 6.), *in adoptionem filiorum in laudem gloriae gratiae suæ*; Gloria Christi; unde Paulus (Hebræorum Cap. II. v. 10.): *Decebat*, inquit, *eum propter quem omnia, et per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Salus tandem æterna eorum, qui justificantur; quapropter fidelibus idem Apostolus, ajebat (Romanorum Cap. VI. v. 22.): *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.*

Quæres. *An ad gratiam justificationis obtinendam requiratur in adulto aliqua dispositio.*

§. 209. R. Affirm., et est de fide. Nam ait Dominus per Isaiam (Cap. XLV. v. 22.): *Convertimini ad me, et salvi eritis*; et per Zachariam (Cap. I. v. 3.): *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Convertimini utique non solis naturae viribus, sed Divino suffragante auxilio. S. Augustinus pariter pluribus in locis hanc docet veritatem, dicens (Trac. 72. in Joann.): *Salutem in impio, sed non sine impio Christus operatur*; et alibi (1): *Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te; fecit nescientem, justificat volentem.* Hinc jure meritoque Tridentina Synodus hunc statuit Canonem (Sess. VI. Can. IX.): *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu, præparari, atque disponi, anathema sit.*

Quaeres. *Quænam sint dispositiones in adulto ad gratiam justificationis consequendam?*

§. 210. R. Primaria dispositio ex parte intelle-

(1) Serm. XV. De verbis Domini Cap. XI.

ctus est Fides, illa nempe, qua veritatibus a Deo revelatis assentimur. Ait enim Apostolus (Hebr. Cap. XI. v. 6.): *Sine fide impossibile est placere Deo*; Quare Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. VIII.): *Fides* ait, *est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis*. Fides autem hæc sola non sufficit, sed aliæ quoque dispositiones, ex parte voluntatis, ad justificationem praerequiruntur; nempe I. *Timor Divinæ justitiæ*, juxta illa Scripturæ (Proverb. Cap. XIV. v. 27): *Timor Domini fons vitæ; Timor Domini expellit peccatum* (1), *et qui sine timore est non justificabitur*. II. *Spes firma veniæ obtinendæ ex Divina misericordia*; Unde David: *Eruet eos a peccatoribus*, inquit (Psal. 36. v. 40.), *et salvabit eos, quia speraverunt in eo*; et Apostolus ad Romanos scribens (Cap. VIII. v. 2.): *Spe*, ait, *salvi facti sumus*; Quare Christus Dominua volens Paralytico peccata dimittere, spem ab eo exegit, dicens (Matth. Cap. IX. v. 2.): *Confide Filii, remittuntur tibi peccata tua*. Et jure quidem. Nam cum justificatio sit opus plane miraculosum, superans adeo vires naturae creatae, et ita Dei proprium, ut dixerit S. Augustinus (2) *plus est justificare impium, quam creare Cælum, et terram*, a

(1) Ecclesiastici Cap. I. v. 27. 28.; Timor utique nedum filialis sed etiam servilis, quo nempe, Deum nostrorum peccatorum vindicem pertimescimus. Timor enim iste, quidquid blaterent Lutherani, utilis est: Hinc Tridentina Synodus Sess. VI. Can. 8. haec habet: « Si quis dixerit gehennae metum, per quem ad » misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel » a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores » pejores facere, anathema sit. » Quod et antea pluribus in locis docuerat S. Augustinus: Vid. Frassen de disposit. ad Gratiam Sanctific. q. 3.

(2) Serm. XIV. de verbis Apost.

Deo utique expectandum est, ab eoque firmiter sperandum. III. *Dei dilectio*; *tamquam omnis justitiae fons, et origo*; dilectio inquam inchoata; Tridentinum namque hac phrasi utitur: *illumque*, Deum nempe, *tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*. IV. *odium, atque detestatio peccati*. *Projicite* enim, ait Deus per Prophetam Ezechielem (Cap. XVII. v. 31.), *projicite a vobis omnes iniquitates vestras, et facite vobis cor novum, et spiritum novum*. V. *propositum recipiendi Baptismi*, si justificandus nondum fuerit baptizatus; vel recipiendæ pœnitentiae, si fuerit post Baptismum relapsus. Etenim cum sine Baptismo sive in re, sive in voto nullus salvari queat, juxta illud (Joan. Cap. III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, nullus ad justificationis gratiam disponere se poterit, quin habeat propositum, illum recipiendi; Cumque Poenitentia sit altera post naufragium tabula, sine illa in re, aut in voto, nullus justificabitur; Ait namque Christus Dominus (Lucae Cap. III. v. 13.): *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: Unde Princeps Apostolorum inquiebat (Actor. Cap. III. v. 19.): *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. VI. tandem *propositum vitæ emendandae*; nam haud vere de peccatis quis poenitere potest, qui propositum non habet expoliare se veterem hominem cum actibus suis, et novum induere, qui secundum Deum creatus est; observare proinde Dei legem, atque mandata.

Dices. Si homo posset ad justificationis gratiam se praeparare, posset gloriari de sua justificatione, quasi sibi debita; Atqui hoc est absurdum; Ergo etc.

§. 211. R. Si homo suis naturae viribus poneret laudatas dispositiones, gloriari posset de sua justificatione; at homo non suis naturae viribus, sed excitatus Divina gratia, ab eaque adjutus, ait Con-

cilium Tridentinum (Sess. VI. Cap. VI.), laudatas ponit dispositiones, et tantum libere ex parte sua cooperatur Divinae gratiae; quare in Domino tantum gloriari potest.

CAPUT VII.

De Merito, deque conditionibus ad meritum requisitis.

§. 212. *Def.* 1. *Meritum hic stricte, et proprie, est actio libera, honesta, et bona, quæ aliqua mercede, vel præmio digna est.*

§. 213. *Schol.* Meritum a Theologis dividi solet in meritum *de condigno*, ut ajunt, et meritum *de congruo.*

§. 214. *Def.* 2. *Meritum de condigno est opus, ex se, mercede ac præmio dignum, quodque propterea ex quadam justitia exigit a Deo donum aliquod supernaturale, tamquam præmium, seu mercedem.*

§. 215. *Def.* 3. *Meritum vero de congruo est opus, quod licet ex se, de justitia, mercede dignum non sit, ei tamen ex quadam decentia, præmium aliquod ex sola Dei misericordia, et benignitate debetur.* Porro circa meritum sequentes sunt.

Auctorum sententiae.

§. 216. Gilbertus Porretanus inter alios errores, quos docuit, nullum mereri, asseruit, praeter Christum. Lutherus, Calvinus, eorumque sectatores, negant justos proprie mereri beatitudinem aeternam. Non desunt sive ex veteribus, sive ex Recensioribus, qui idipsum effutire non dubitarunt (Vid. Gener.).

PROPOSITIO I.

Justi per bona opera, gratiæ auxilio facta, de condigno merentur æternam beatitudinem.

§. 217. Prob. I. Ex Scripturis. Auctor Libri Sapientiae haec habet (Cap. V. v. 16.): *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Ecclesiasticus pariter ita monet (Cap. XVIII. v. 22.): *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Domini manet in æternum.* Quænam vero merces? Utique pro qualitate bonorum operum; *Reddet*, namque, ait Christus Dominus (Matt. Cap. XVI. v. 27.) *unicuique secundum opera ejus*; Unde Apostolus (Epist. I. ad Corinth. Cap. III. v. 8.); *unusquisque*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* et ad Romanos scribens (Cap. IV. v. 4.): *Ei autem*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; *Non enim injustus Deus*, sequitur ipsemet ad Hebræos verba faciens (Cap. VI. v. 10.), *ut obliviscatur operis vestri;* quare beatitudinem æternam, quae pro bene gestis a Deo sciebat sibi repositam esse, coronam justitiæ dicere non dubitavit, scribens (Epist. II. ad Timoth. Cap. IV. v. 8.): *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex etc.* Si ergo justis merces aeterna pro bonis operibus datur secundum opera, et laborem; si haec merces est debita et ex Dei justitia, ita ut corona justitiae vocetur, profecto haec merces est merita de condigno: Adeoque Justi etc.

§. 218. Prob. II. ex Conciliis. In Concilio Lateranense IV. (Cap. I.), ita legitur: *Non solum virgines et continentes, verum etiam conjugati per fidem rectam, et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.* In Con-

cilio Florentino definitum fuit (In Literis union.): Animas plene purgatas *in Cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et Unum siculi est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* In Tridentino tandem (1) ita statutum habetur: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem atque etiam augmentum, anathema sit.*

§. 219. Prob. III. ex Patribus, inter quos audiantur S. Augustinus, et S. Bernardus. Ille namque (Epist. 105.) sic ait: « Nulla ne igitur sunt » merita justorum? sunt plane, quia justi sunt. Nam: » sicut merito peccati tanquam stipendium redditur » mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita » æterna. *Et alibi* (In Psalmo 109.): Deus fecit » se nobis debitorem, non aliquid a nobis accipiendo, » sed tanta nobis promittendo. Promissor Deus debi» tor factus est, bonitate sua, non prærogativa no» stra. Quid ei dedimus, ut eum debitorem teneamus »? S. autem Bernardus subdit (Libro de gratia, et lib. arb.): « **promissum quidem ex miseri» cordia, sed tamen ex justitia persolvendum ».**

PROPOSITIO II.

Ut justorum opera sint æternæ vitæ meritoria, requiritur ex parte Dei promissio, et pactum de dando præmio.

§. 220. Prob. I. Ex Scripturis. Apostolus ad Timotheum scribens ait (Epist. ad Tim. Cap. IV. v. 8.): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem*

habens vitæ, quæ nunc est, pariter, et futuræ; et ad Hebræos (Cap. VI. 2. 22.): *Fide, et patientia* ait, *hæreditabunt promissionem*. Quare S. Jacobus Apostolus (Cap. I. v. 12.): *Beatus vir*, inquit, *qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Sane in Apocalypsi, ait Christus (Cap. II. v. 7.): *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (Ibid. v. 10.); Et ut alia taceamus: *dabo* (Ibid. v. 23.) *unicuique vestrum secundum opera sua*. Ergo etc.

§. 221. Prob. II. ex Conciliis. Concilium Senonense hæc habet (Cap. XVI.): *Fecit Deus unicuique locum juxta mensuram operum suorum, non absoluta condignitate, sed gratuita, et liberali promissione, qua conventione facta de denario diurno, misit operarios in vineam suam*. Concilium Tridentinum, ita decrevit (Sess. VI. Cap. XVI.): *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei, per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda*. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Ad meritum de condigno, duo ex parte operantis requiruntur; nempe 1. ut sit in vita, et 2. in statu gratiae.

§. 222. Prob. Nam I. in statu viæ potest homo opera bona facere, et mereri, non autem in termino. In Ecclesiaste enim habetur (Cap. IX. v. 20.): *Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud*

inferos, quo tu properas. Et in Ecclesiastico (Cap. XIV. 17.) legitur: *ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum* (Cap. XVI. v. 15.), *et secundum intellectum peregrinationis ipsius.* Hinc monebat Apostolus dicens (Ad Galatas Cap. VI. v. 1.): *Dum tempus habemus operemur bonum: Ecce nunc tempus acceptabile* (1): *ecce nunc dies salutis.* II. in statu gratiae homo potest per bona opera, certam suam salutem facere; Ait enim Christus Dominus (Ioann. Cap. XV. v. 4.): *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (Ibid. Cap. XIV. v. 23.); *et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Ad meritum ex parte actus tria requiruntur; nempe 1. libertas non solum a coactione, sed etiam a necessitate; 2. ut actus sit bonus; et 3. ut eliciatur ex actuali auxilio gratiæ.

§. 223. Probatur quoad 1. partem. Nam in Scriptura de homine justo dicitur (Ecclesiastici Cap. XXXI. v. 10. 11.): *Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, et non est trangressus, facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Hinc S. Iræneus ait (Lib. IV. Cap. XI.): » Qui » operantur bonum, gloriam, et honorem percipient, » quoniam operati sunt bonum, cum possent illud non

(1) Epist. II. ad Corinth. Cap. VI. v. 2.

operari; Et S. Hieronymus (Lib. II.): « Liberi » arbitrii, scribit, nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est ». Nam ubi » necessitas, inquit S. Bernardus (Libro de gratia et » lib. arb.), ibi libertas non est, nec meritum. Jure itaque damnata fuit hæc Jansenii Propositio (Inter confix. a Clemente XI. num. 3.). *Ad merendum, et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate etc.*

§. 224. Prob. quoad secundam partem. Nam Deus, ut inquit S. Augustinus (Lib. de grat. et lib. arb. Cap. VI.), quæ mala sunt non coronat. Hinc Apostolus ad Romanos scribit (Cap. II. v. 7.): *Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam*; Ergo etc. Idque patet etiam ex Concilio Arausicano II. (Canone 18.), in quo legitur: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.*

§. 225. Prob. quoad 3. partem; Nam sine gratia nullum opus bonum efficere possumus, quod sit æternæ vitæ meritorium (§. 130.): Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Præter meritum de condigno, datur meritum de congruo.

§. 226. Probatur. In Scripturis legitur, Deum multa peccatoribus concessisse, intuitu aliquorum bonorum operum, ut patet de obstetricibus Ægyptiorum (Exodi Cap. I. v. 20 21.), de Cornelio Centurione (Actor. Cap. X.); Atqui peccatores nihil de condigno merentur (§. 222.); Ergo et de congruo; adeoque, etc.

Quæres. *Quaenam cadant sub meritum de condigno?*

§. 227. R. Hæc duo; nempe 1. augmentum gratiæ habitualis.; 2. prima gloria, et ipsius gloriæ augmentum; Ita Concilium Tridentinum (Sess. VI. Can. XXXII.): *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

Quæres. *An aliquis per merita antecedentia possit de condigno mereri reparationem post lapsum?*

§. 228. R. negat. Nam inter alias conditiones, ad merendum de condigno, requiritur, ut qui mereri vult sit in gratia (§. 222.), et ut adsit ex parte Dei pactum, atque promissio de praemio reddendo (§. 220.); Jam vero qui lapsus est, in gratia non est; et nulla adest Dei promissio, opera bona præterita hominis peccatoris, vita æterna præmiandi; quinimo adest oppositum; Nam per Ezechielem ait Deus (Cap. XVIII. v. 24.): *Si avertit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur; in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit in ipsis morietur.* Ergo etc.

Quæres. *An aliquis justus possit alteri mereri primam gratiam, gloriam, et alia bona supernaturalia?*

§. 229. R. Potest quidem de congruo, non de condigno. De congruo. Nam Deus quandoque per merita, et intercessionem Sanctorum, peccata dimittit, atque alia supernaturalia bona elargitur. Ita de Job legitur (Cap. XLII. v. 8.): *Job autem servus*

meum orabit pro vobis, et faciem ejus suscipiam; ut non vobis imputetur stultitia. Hinc illud Jacobi Apostoli (Cap. V. v. 16.): *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* Quare S. Augustinus ajebat (Serm. 90. de diver.): « Si Martyr Stephanus non orasset, Ecclesia » Dei hodie Paulum non haberet ». Non de condigno autem; quia 1. unusquisque secundum proprium laborem, et opera bona, auxilio gratiæ facta, praemium meretur (§. 222.); 2. si justus alteri promereri posset de condigno primam gratiam, gratia esset ex meritis, et ex justitia daretur; quod est falsum 3. Si de condigno justus alteri mereretur gratiam, vitam æternam etc., posita justi oratione, atque intercessione, prædicta necessario consequerentur; Jam vero, experientia teste, non semper consequuntur; Ergo etc. (1).

TRACTATUS II.

De Angelis.

§. 230. Invisibilium creaturarum nomine, Angelos præsertim designari, Catholicorum constans doctrina est, atque communis sententia. Sicuti namque inter omnes res creatas, quae sensibus subjectæ sunt, caeteris praestantior est homo, anima, et corpore constans, sensu, et ratione praeditus, ita inter res, quae oculis nostris non patent, quasque Deus pro

(1) Atque haec de Gratia dicta sufficiant. Qui alia scire, aut legere cupit, consulat Auctores passim a nobis citatos, Bellarminum praesertim Tomo IV. Boucat Tomo III. Tournely Tomo III. Laurentium Berti a Lib. XIV. incl. usque ad Lib. XIX. incl. Gener Theologia Dogmat. Schol. Tomo V. Frassen Tomo IX: Edit. Venetae 1744. Dupasquier Tomo V. Tract. IX.

manifestatione gloriæ suæ, et utilitate nostra condidit, Angelos praecellere existimandum est. Quod ex eo vel maxime patet, quod Deus Angelos potissimum creaverit, ut peculiari modo Divinæ suæ majestatis solio assisterent, ut ministri, semper parati ad ipsum laudandum, et ipsius jussa exequenda. Hinc S. Augustinus (Lib. XI. de Civit. Dei Cap. XV.): « Angelica natura, ait, omnia cætera, quæ » Deus condidit, naturae dignitate præcedit ». De iis ergo in præsenti Tractatu acturi, breviter, quae tyroni Theologo necessario scienda sunt, explicabimus.

CAPUT I.

De Angelorum existentia.

§. 231. *Animad.* Angeli nomen, officii vocabulum est, non naturæ: « Quaeris nomen hujus naturae? » Spiritus est; Quæris officium? Angelus est: Ex » eo quod est, Spiritus est: ex eo quod agit, An» gelus est »: Ita S. Augustinus (In Psal. 103.). Atque hac ratione, Sacris in literis, Angeli nomen quandoque hominibus tribuitur. Unde et Sacerdotes, qui ad homines Dei voluntatem docendam mittuntur, Angeli apud Prophetam Malachiam vocantur (Cap. II. v. 7.): *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*; Et Joannes Baptista, qui ad annuntiandum Christum jam humana carne indutum destinatus fuerat, Angelus appellatur ab eodem Christo, juxta quod laudatus Propheta (1) dixerat: *Ecce enim mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.*

§. 232. *Def*: Angelus autem hic proprie et stri-

(1) Ibid Cap. III. v. 1. Matth. Cap. XI. v. 10.

cte intelligitur, *substantia creata spiritualis completa, intellectu, et libertate prædita, atque immortalis. Substantia* quidem, quia non est quid phantasticum, et inane, sed ens vere per se subsistens. *Creata*, ut constet, quod non sit Deus. *Spiritualis* hoc est omnis materialis compositionis expers, in qua partes extra partes distingui possint. *Completa*, ut distinguatur ab anima humana, quae dicitur, et est substantia incompleta, utpote ad constituendum cum corpore unum compositum, nempe hominem, destinata.

§. 233. *Schol.* Angeli nomen dupliciter accipi potest, latius nempe, et strictius. Latius accipitur, cum pro quacumque substantia creata spirituali completa sumitur, cujuscumque Ordinis ea sit, et Hierarchiae; veluti cum dicitur (Psal: 96.): *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Strictius vero accipitur, cum ad indicandum infimum Ordinem Angelicorum spirituum Hierarchiae. At dantur ne Angeli?

Variæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 234. Angelos existere in primis inficiati sunt Saducaei, atque Samaritani, neque Angelum neque spiritum esse dicentes (Actorum Cap. XXIII. v. 8.). Horum errorem veluti e cineribus, magna ex parte excitarunt Anabaptistae, qui omnia Scripturarum oracula, in quibus sermo fit de bonorum Angelorum custodia, atque malorum tentatione, de solis bonis, vel malis cogitationibus interpretantur. Non defuerunt alii, qui effraeni audacia asserere non dubitarunt, neque ex Veteri, neque ex Novo Testamento Angelorum existentiam apparere, inter quos Baldassar Bekkerus merito recensetur. Richardus Simonius nomina Angelorum in Veteri Testamento esse quidem adfirmat, sed ea in illo, ex Caldaica doctrina post Captivitatem Babylonicam irrepsisse, opinatur. Quam inepte!

PROPOSITIO

Angelos existere ex Scripturis tam Veteris, quam Novi Testamenti, etc. clarissime demonstratur.

§. 235. Prob. 1. ex Scripturis Veteris Testamenti. In Genesi habetur (Cap. XIX. v. 2.): quod *venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus Civitatis. Cumque esset mane, cogebant eum Angeli* (Versu 15.). Quod *vocavit Angelus Dei Agar de Cælo etc.* (Cap. XXI. v. 17.); et cum Abraham extendisset manum, ut gladio filium suum immolaret (Cap. XXII. v. 10. 11.): *Angelus Domini de Cælo clamavit etc.* In Exodo (Cap: XIV. v. 17.) habetur. *Tollensque se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel abiit post eos.* Et ibid: (Cap: XXIII.): *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te.* In Libro Tobiæ (Cap. VIII.) legitur: *Raphæl Angelus apprehendit Dæmonium, et relegavit illud in deserto superioris Egypti.* Et alibi (Cap. XII. v. 15.); *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstantus ante Dominum.* Innumera alia sunt apertissima testimonia Veteris testamenti, quæ hanc veritatem ostendunt, sed his paucis allatis contenti, sic liceat argumentari: Angeli venerunt Sodomam, fuerunt cum Loth, atque illum suasionibus et vi ab urbe extraxerunt; Angeli de Cælo clamarunt; antecedebant, et præcedent Castra Israel; Angeli ante Dominum adstant etc.; Ergo Angeli sunt verae personae; Ergo non sunt tantum bonae cogitationes. Quid? cogitatio bona loquitur, et loquendo suadet, aut vi aliquid facit? Cogitatio bona clamat, clamat de Cælo, et obtinet ut aliquid agatur vel non? Cogitatio bona est substantia aliqua spiritualis coram Deo adstans, aut Dux Exercitus? haud certe; Jam vero haec omnia, nonnisi personæ conveniunt, non vero puræ, meræque cogitationi; Ergo etc.

§. 236. Prob. II. ex Scripturis Novi Testamenti. Apud Lucam (Cap. I. v. 11.): *Apparuit ei nempe* Zachariae, *Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi*; et paullo post (V. 26): *Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileæ cui nomen Nazaret, ad Virginem deponsatam viro*; et alibi (Cap. II. v. 13.): *facta est cum Angelo multitudo Cælestis exercitus laudantium Deum, etc.* Apud S. Matthæum habetur (Cap. I. v. 20.): *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* Similia leguntur in aliis Libris Novi fœderis; Ergo etc. Quare S. Augustinus (In Psal. 103.): « Angelos, inquit, » novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum le- » gimus, et tenemus; nec inde dubitare fas nobis » est ». Et S. Gregorius Papa (Hom. 34. in. Evang.): « Esse Angelos, et Archangelos, scribit, » pene omnes Sacri eloquii paginæ testantur ».

§. 237. *Prob.* ex iis, quae Magi, Sagæ, atque Energumeni operantur. Magi Pharaonis in Ægypto tam mira, atque stupenda fecerunt ope Dæmonum, ut imitari viderentur vera miracula, quae virtute Dei, Moyses illic operatus est; Nam (Exodi Cap. VII. et seq.) virgae ipsorum versae sunt in dragones; et ipsorum incantationibus, modo aquae versæ sunt in sanguinem, modo ranae eductae fuerunt super terram Ægypti etc. Simon Magus (Actor. VIII. v. 9. et seq.) suis praestigiis, atque mirandis operibus ope Dæmonum factis, seductam tenebat gentem Samariæ, et in tantam opinionem devenit, ut ei auscultarent omnes a minimo usque ad maximum, dicentes: *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* Energumeni, a Daemonibus nempe obsessi, quot, et quae mira, omni semper aetate, non praestiterunt queis malorum Angelorum existentia peroptime constabilita manet, et extra omne dubitationis aleam posita? Sufficiunt pro hacre, quae ab illis in Evangelio acta narrantur. Et

quid de Sagis dicemus? Earum opera, veritatem hanc mirifice comprobant. Igitur etc.

Adversariorum objectis occurritur.

§. 238. *Objic.* Si Angeli existerent, de eorum creatione mentio fieret in Genesi; Atqui ne verbum quidem de Angelorum creatione in Genesi a Moyse fit; Ergo etc.

§. 239. R. Dist. min. Atqui etc., expressum, conc. min.; secus n. min., et consam. « Opus Dei esse Angelos, ait S. Augustinus (1), hic quidem, » *in Genesi, et in Sacris literis*, etsi non praeter- » missum: non tamen evidenter expressum est: sed » alibi hoc Sancta Scriptura clarissima voce testatur. » Nam et in hymno trium in camino virorum cum » praedictum esset: *Benedicite omnia opera Domini* » *Dominum*: in exequutione eorumdem operum, etiam » Angeli nominati sunt, et in Psalmo canitur: *Lau-* » *date Dominum de Caelis, laudate eum in excel-* » *sis; laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum* » *omnes virtutes ejus etc. . . . . . Quoniam ipse* » *dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata* » *sunt.* Etiam hic apertissime a Deo factos esse An- » gelos Divinitus dictum est, cum eis inter caetera » Caelestia commemoratis, infertur ad omnia: *Ipse* » *dixit, et facta sunt* ».

§. 240. *Contra.* Ex concessis Angelorum creationem Moyses expresse non scripsit; Ergo non existunt. Prob. min. sub. Angeli, ex citato S. Augustino (Cap. XV.), sunt substantiae aliis creatis rebus, et ipso homine, praestantiores. Si ergo Moyses expressis verbis aliarum rerum creationem descripsit, a fortiori describere debuisset Angelorum creationem

(1) Lib. XI. de Civit. Dei Cap. IX.

verbis expressis; Atqui expresse non descripsit; Ergo Angeli non existunt.

§. 241. R. dist. min. Et justa ratio fuit Moysi, Angelorum creationem expresse non describendi, conc. min.; secus n. min. cum consa. Cum Moysis scopus in Genesis Libro exarando nullus alius fuerit, quam historiam scribere creationis rerum visibilium, Angelorum creationem expresse non descripsit; eo vel maxime ne Judaeis ad Idololatriam pronis, occasionem erroris praeberet. Si enim Judaei, moribus Ægyptiorum imbuti, res viles creatas, uti Deos coluerunt, quanto magis uti Deos coluissent Angelos, quos magna virtute, atque admirabili pulchritudine, Deus in primordio creationis dotavit?

§. 242. *Contra*. Ratio, quæ a vobis adducta fuit, merum effugium est, et ubi robur sumere videtur, illic claudicat: admitti ergo nulla ratione debet. Prob ans. Ratio silendi fuit Idolatriae periculum; sed majus periculum paratum fuisset rudi Iudæorum populo suppressa Angelorum creatione in primo Geneseos Capite, quam si eadem cum omni distinctione, enarrata fuisset; Ergo etc. Prob: min: In Genesi, Angeli divinos honores, et Divinum nomen sibi vindicarunt: Sic Cap: 32. legitur, Angelum luctatum cum Jacob, sibi Dei nomen attribuisse illis verbis: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*; Ergo majus periculum etc.

§. 243. R. Ex silentio creationis Angelorum, nullum Judæis timendum fuit periculum, quia tunc incoepit Moyses meminisse Angelorum, cum Dei jussu, tamquam Dei nuntii, et servi a Domino deputati fuerunt, et missi; quia etsi homines ignobilioris naturæ sint, obsequia tamen accipiunt ab Angelis se submittentibus ac demittentibus Dei jussui, et praecepto. Sic Cap: 19. v. 14. ejusdem lib: Gen: Loth dixerunt Angeli *Dominus misit nos, ut perdamus illos*: et Cap. 22. Abrahamum immolantem Isaac Filium suum vocavit

Angelus, et sic est affatus. *Per memetipsum juravit, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc.* Etiam et alia sexcenta hujusmodi servitutis officia indicantia, quæ satis abunde ostendunt, Angelos creatos esse divinis characteribus omnino destitutos. Deinde non erat responsio nostra, quæ seipsam destruebat, sed argumentum. Nam, cum unicum, quod contendimus sit Angelos existere; hoc ipsum ostendit argumentum, cum Angelos in libro Genesis descriptos passim ostendit.

§. 244. *Contra.* Ex variis servitutis officiis; quæ Angelis tribuuntur, atque ex eo quod passim in Scripturis Angeli legantur, eorum colligitis existentiam, nullumque Idololatriæ periculum Judaeis paratum dicitis; Atqui tantum abest, ut hæc vera sint, quin potius deducatur oppositum; Ergo etc. Prob: min: Angelus nomen est non naturæ, sed muneris, ac officii, nunciumque, ac legatum, juxta illud Aug: lib: Gen: ad lit: Nuncii grece Angeli dicuntur; Ergo in Scripturis per Angelos non designantur spiritus, aut substantiæ intellectuales per se subsistentes, sed occultæ dumtaxat inspirationes, quibus quasi Dei nunciis homines Divinæ voluntatis admonentur. Ergo etc. Quod si personæ, fovea Idololatriæ Hebræis parata fuisset; cum post discessionem Angeli a Iacob: sic dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem*, ut legere est in eodem Cap. 32. Genesis.

§. 245. R. dist: ans. Angelus nomen est ect., et quæ ab eis exercentur indicant dubio procul res subsistentes, conc:, secus n. ans, et consm. Non diffiteor nomen Angeli, non indicare naturam ullam spiritualem, sed esse nomen officii; at officia, quae illis tribuuntur, et istiusmodi officiorum nomina, illos, qui eadem implent consignificant; ut quando de hominibus dicitur Rex, miles, Orator. Insuper non est in hominibus attendenda sola grammaticalis etymologia, sed institutio eorum, qui nomina

imposuerunt; alioquin fas erit dicere, Adam esse vas fictile, ex eo quod sit e terram formatus. Sunt omnia fere vocabula secundum etymon pluribus communia, et tamen ad certam rem significandam bene sapienterque applicantur, præsertim cui ratio illa communis convenit jure quodam peculiari, ut Angelis Divina mortabilibus enunciare.

§. 246. Ad illud Jacob; dictum a nobis fuit, quod minime instituendum in sola grammaticali etymologia nominis: Et loco laudato: *pro vidi Dominum* intelligi, Vidi Domini nuncium, vidi scilicet unum, in quem Divinitas speciali modo inhabitat; Sicut nos etiam dum ab afflictione, vel angustia aliqua liberamur ab aliquo, dicere solemus dum aliis narramus, memores benefactoris, Vidi Deum.

§. 247. *Objicies*. 2. Nullo alio argumento naturali ratione, validius suaderi potest Angelorum existentia, quam ex variis Energumenorum, ac Sagarum effectibus; at istud debile prorsus est; ergo etc. Prob: min. Ita profecto erit, quoties effectus illi mirabiles refundi optime possent in aliam caussam; res ita se habet; ergo etc. Prob. min: Ille, qui Energumenus a vobis dicitur in eam incidere potuit imaginationis temperiem, qua peregrinarum linguarum institutores affecti tunc erant, cum eas instituerent, et idiomate peregrino, ac prius ignoto, nullo interius agitante spiritu loqui, ut profuso calamo ostendit Ludovicus Antonius Muratorius in libro, cui titulum fecit: *La Forza della fantasia*. Ergo etc.

§. 248. R. Credat Judæus Apella, et non ego, aliquem posse variis idiomatibus, sola humoris temperie, quæ qualiscumque ponatur, nullum certe habere videtur commercium cum cujuscumque vocis prolatione. Equidem nos eas formamus voces, prout volumus, et per eas significandi notitiam accipimus non obstante varia humoris nostri temperie: adeoque illa Energumeni peregrinorum Idiomatum loquutio, ex ejus

humorum affectione non provenit. Supponitur ex alia parte, obsessum numquam varia, quae optime callere experimur, didicisse idiomata: inferri ergo potest, quod agitante aliquo interius spiritu, ipsiusque linguam movente, diversimode loquatur. Quod vero in suo libello ostendere conatur Muratorius, satis demonstrat, ipsum, plusquam par erat, Phantasiae concessisse.

§. 249. *Contra.* Atqui si variæ Energumenorum circumstantiæ attendantur, inveniemus profecto, ex humorum temperie provenire mirabilem idiomatum loquutionem; licet convenientia ignoretur quæ, inter humorum temperiem, ac verborum efformationem intercedit; ergo etc. Prob: subsm. Observatum est, Energumenos, ut plurimum, ad certos Lunæ periodos acrius torqueri, tumque variis loqui idiomatibus; sed ad Lunæ periodos humores diversimode afficiuntur; ergo non leve indicium est, eos ex varia humorum temperie variis linguis loqui; ac per cons:.etc.

§. 250. R. dist: maj: Et nequam Spiritus est qui Energumenos torquet, illorum linguas movet ad certas Lunae periodos, conc: maj:, secus n. maj:, et dist: min: eodem modo, neg: consm. Tenebrarum spiritus obsessis insidens, eos torquet per acerbam humorum affectionem, faciliusque in eos rabiem implet cum humores aut nimium redundant, aut deficiunt. Et haec Daemonum assueta astutia est, ut sub aliis Creaturis absconditi, morbi acerbitas aliis caussis, non istis tribuatur. Et ne videantur, haec a me pro lubitu conficta, audiatur Chrisostomus hom: LII. de Lunatico, quem Christus sanavit; Daemon, « quod suae artis erat, voluit tunc » videre, aptas Lunae cursibus passiones hominis; » vexabat corpus lunaribus incrementis, ut esse » Lunae crederetur, quod erat diabolici criminis, et » furoris ».

§. 251. *Contra.* Atqui dato etiam, quod hujus-

modi Energumenorum effectus miros ex humorum varia temperie non oriantur, ex hoc etiam nullum argumentum habere poteritis ad Angelorum existentiam comprobandam; Ergo etc. Prob: min: subsm: Laudati effectus possunt ab alia caussa oriri praeter quam Angelica; ergo dato etiam etc. Prob: ans. Hujusmodi effectus possunt ab animabus separatis repeti; ergo laudati effectus etc.

§. 252. R. nego ans: Non plus activitatis ac energiae habere animam videtur dum corpore soluta est, quam dum corpus informat; cum naturalis agendi virtus, naturalem sequatur agendi rationem. Cum res ita se habeat, quomodo poterit quæso, immania pondera sublevare, quae vix centum homines movere valerent; terramque ipsam concutere, aliaque mirabilia moliri, quae omnia compertum est facere Spiritus, dum e corporibus obsessis virtute praecum, atque exorcismorum Ecclesiæ recedere coguntur? Restat ergo quod Animæ separatæ ea mira efficere non possint, cum virtute ad ea efficienda sint orbatae; adeoque etc.

CAPUT II.

De Angelorum natura.

§. 253. *Def.* 1. *Corpus est substantia extensa, iners, atque impenetrabilis.*

§. 254. *Coroll.* Unde partes extra partes habet, quae augeri possunt, atque minui, alterari proinde et corrumpi; ad motum aeque ac quietem indifferens, gravis, quaeque penetrari nequit.

§. 255. *Animad.* Nomen *spiritus* dupliciter sumi potest; *improprie* nempe, et *proprie*; et proprie quidem etiam dupliciter, *late* scilicet, et pro substantia corpori opposita, atque *strictae* usurpari solet.

§. 256. *Def.* 2. *Spiritus improprie dicitur quid-*

quid subtilissimis, atque agilissimis constat partibus. Hoc seusu ventus, Spiritus in Scripturis vocatur; Unde in Genesi (Cap. VI. v. 81.) dicitur, quod cessato Diluvio, *Deus adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ*; et in Psalmo 147. v. 18. *flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.*

§. 255. *Def.* 3. *Spiritus proprie, et prout corpori opponitur est substantia partibus omnino carens, atque summe activa*; hujus generis, non pauci Philosophi, animam Belluarum esse tenent; et in Ecclesiastico (Cap: III. v. 31.): *Quis novit . . . . si spiritus jumentorum descendat deorsum?*

§. 256. *Def.* 4. *Spiritus proprie et stricte est substantia partibus omnino carens, intellectu, memoria, atque voluntate praedita, incorruptibilis, atque immortalis.*

§. 557. Substantia haec, nempe Spiritus stricte sumptus duplex est *incompleta*, quae ad informandum corpus est a Deo ordinata, et ad unum cum eo constituendum compositum, uti est anima humana; *completa* vero, si ad tale compositum constituendum ordinata non sit; atque haec iterum duplex est, *increata, et necessaria*, qualis est Deus; *creata et contingens*, qualis est illa, de qua in praesenti loquimur. An nempe substantiae hujusmodi vere sint Angeli. De qua re, non leve

Dissidium est inter Auctores.

§. 258. Circa Angelorum naturam varie erratum est. Plato docuit Daemones esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aerea. Basilides asseruit, alios Angelos ex aliis esse natos. Faustus Rhegiensis, Psellus, Rupertus Tuitiensis, Angelos corpore dotatos affirmarunt. Idipsum fecisse multos Veteres Ecclesiae Patres, ex eorum sententiis ostendunt Eruditi. Mahumetes dixit, Angelos ex igne creatos esse, et quemadmodum corpus hominis ex

terra compactum est, ita etiam ex igne, seu materia, Angelos compactos putavit, eosque peccare, ac mori posse. Alii alia perridicula satis venditare non sunt veriti, quos et spernendos esse arbitramur.

PROPOSITIO.

Angeli sunt substantiæ omnino spirituales.

§. 259. *Prob.* I. ex Scripturis. David Propheta sic ait Deo (Psal. 103. v. 4.): *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Et Apostolus Paulus ad Hebraeos de Angelis scribens, inquit (Cap. I. v. 14.): *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*; Unde monens Ephesios ad fortiter pugnandum adversus Daemones (Cap. VI. v. 11. 12.): *Induite vos*, inquit, *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem . . . . . sed contra spiritualia nequitiae in Cœlestibus.* Joannes tandem in Apocalypsi (Cap. I. v. 4.) mentionem faciens de septem Angelis ante Dominum in Caelis adstantibus, eos absolute spiritus vocat, dicens: *Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est; et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Ergo etc.

§. 260. *Prob.* II. Auctoritate Concilii Lateranensis IV., in quo ita statutum legitur (Cap. Firmiter.): *Deus, qui omnipotenti sua virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet, et mundanam; et deinde humanam, quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam.* Ergo etc.

Opposita argumenta solvuntur.

§. 261. *Objic.* I. Quod oculis corporis cernitur, spiritus certe non est; Atqui Angeli, ut Sacris in Litteris habetur, oculis corporeis visi fuerunt a multis; Ergo spiritus non sunt; Adeoque etc.

§. 262. R. dist. min. Atqui etc., visi fuerunt in corporibus propriis, et sibimetipsis naturaliter unitis, n. min., in corporibus adscititiis, atque assumptis, conc. min., et n. consm. Quod hic disputatur, non est, an Angeli assumant aliquando corpora, et se hominibus aspiciendos praebeant, sed an revera habeant corpora sibi naturaliter unita, ut homines habent. Verum itaque est, Angelos in corporibus assumptis, non paucis apparuisse; at falsum omnino est, ea corpora, in quibus se conspiciendos dederunt, fuisse corpora propria ipsis naturaliter unita.

§. 263. *Contra.* Atqui Angeli in corporibus propriis, et ipsis naturaliter unitis apparuerunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Qui se alteri corporeis oculis conspiciendum praebet, loquitur, manducat, bibit, deambulat, decertat, aliasque similes actiones facit, corpus certe habet sibi naturaliter unitum; Atqui Angeli, ut patet ex Scripturis, loquuti sunt, manducarunt atque biberunt, deambularunt, praelia commiserunt, etc. Ergo Angeli etc.

§. 264. R. Bene possunt Angeli, quin habeant corpora naturaliter sibimetipsis unita, et in corporibus tantum assumptis, laudata in argumento, et alia multa illis similia efficere. Summa namque potentia, et sublimi sapientia, qua a Deo praediti sunt, miro modo valent linguam corporis assumpti ita movere, ut in voces humanas et verba prorumpat; corpora de uno in alium locum tranferre; cibum et potum sumere, etc., sicque videri vere loqui, ambulare, manducare, et bibere, etc.; ac si proprium corpus haberent; cum non habeant, nisi corpus as-

sumptum. Fatemur manducare et bibere, Angelis in corporibus assumptis haud posse convenire, cum ipsi potu, et cibo non egeant, ut in vita serventur; Sed audiatur S. Bonaventura, qui hanc rem dilucide explicat: « In cibatione, ait ipse (In II. Sent. Art. » III. q. I.), est cibi sumptio et consumptio: est nihilominus conversio, et unio. Et quantum ad primum, competit Angelo in corpore assumpto cibatio, » sive comestio non simulate, sed vere, quia cibum » sibi appositum vere sumebant, et consumebant: verumtamen cibus assumptus, eorum indigentiam, » vel deperditionem non restaurabat, quia talis cibatio ex potentia, non ex indigentia est in Angelis ». Unde et Raphael Angelus Tobiae dixit (Cap. XII. v. 19.): *Videbar vobiscum manducare et bibere; sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

§. 265. *Contra.* Atqui laudatae Angelorum operationes manifeste ostendunt, eos vero corpore, et sibi naturaliter unito, constare; Ergo n. r. Prob. subsm. Ostendunt Catholici adversus Haereticos, Christum verum corpus habuisse, ex eo, quia manducavit, bibit, deambalavit, locutus est; Ergo satis ostenditur Angelos verum corpus habere eo quia manducarunt, biberunt, locuti sunt, etc.; Adeoque etc.

§. 266. R. Non ex eo solum, quod Christus manducavit, bibit, ambulavit etc., deducunt Catholici, Christum verum corpus habuisse, sed ex innumeris aliis robustioribus, atque invictissimis argumentis, quae in Evangelio passim occurrunt. Sane Scriptura narrat quomodo Christus fuerit in utero Virginis conceptus, quo tempore, quo die, quo loco natus; quomodo a Matre lacte nutritus; quomodo, et in qua domo, et per quale tempus sub cura parentum fuerit. Insuper omnia quae dixit, et fecit toto triennio praedicationis, et quomodo expressis verbis se verum corpus habere pluries dixerit, clare

atque distincte describit. Tandem quomodo sit passus, mortuus vere, atque sepultus; quomodo tertia die a mortuis resurrexerit, et per dies quadraginta cum discipulis conversatus fuerit, et quomodo a monte Oliveti, videntibus discipulis, in Caelum ascenderit. De Angelis vero nihil tale narrat Scriptura. Non dicit eos fuisse conceptos, natos; nullum eorum dicit aut per plures annos cum hominibus conversatum constanter, eos fecisse certiores de suo naturali, et non adscititio corpore; quin potius oppositum fecisse legimus. Ipsi namque, peracta legatione, evanescebant ab oculis mortalium, et naturalia corpora se non habere satis ostendebant. Non valet itaque allata comparatio, nec quidquam facit contra nostram expositam thesim.

§. 267. *Objicies* 2. Angeli corporeae substantiæ sunt si Concilia, Patres, et ratio naturalis id demonstrant; Atqui Concilia in suis decisionibus, Patres communi consensu, ratio lumine naturali id ostendunt; ergo falsa propositio. Prob: min: quoad primam partem. In VII. Generali Synodo, actione V. recitatus fuit dialogus Ioannis Thessalonicensis Episcopi cum Gentili disputantis, in quo dialogo sic loquitur « de Angelis atque Archangelis Catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed » non omnino materiæ expertes, et invisibiles, ut » vos gentiles dicitis; verum tenui corpore praeditos » et impervio corpore aliquando visos esse ». Atque postea concludit, merito pingi posse. Tarasius Patriarcha, Concilii Præses, Joannis verba assumendo, sic affatus est: Ostendit Pater Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt. Respondit universa Synodus Etiam Domine, quod sic universa Synodus adprobavit Angelos pingi posse, quoniam circumscripti sunt, et humana specie multis apparuerunt; ergo, etc.

§. 268. R. admitt: Synodi verba, sed dist:

sensum. Oportet Angelos pingi, quoniam circumscripti sunt, corpore proprio, et naturali, nego, corpore extraneo, ac assumpto, conc:; ergo etc: nego consm. Quidquid sit de Joannis Thessalonicensis sententia, certe Tarasius, solum excerpsit ex ejus libris, quod Angeli pingi possint, quandoquidem in humana specie, non semel apparuerunt. Num vero apparitiones istæ fuerint in proprio, vel assumpto corpore aliquo, scopus Concilii non erat id definire. Imo Tarasius, aliique Patres aperte demonstrant se Angelos incorporeos fateri, et Ioannis sententiam probare in ea tantum parte, quae spectat ad pingendas Angelorum imagines. Affirmant tamen citatis verbis, Angelos circumscribi, et apparere in humana specie, non autem in propria; atque in professione fidei « Veneramur, inquiunt, imagines Sanctorum, atque incorporeorum Angelorum, qui tamquam homines figura humana justis apparuerunt ».

§. 269. *Contra.* Atqui Concilium aprobando sententiam Ioannis Thessalonicensis Episcopi, docuit Angelos esse corporeos; ergo etc. Prob: subsm. Ioannes Thessalonicensis Episcopus, docuit proculdubio, Angelos esse corporeos, atque propter hanc causam pingi posse. Concilium probavit hanc illationem. Ergo probavit etiam antecedens: nimirum Angelos esse corporeos; adeoque etc.

§. 270. R. dist: maj: Ioannes Thessalonicensis docuit Angelos esse corporeos, et humana specie multis apparuisse; ideoque pigendos esse, conc: maj:, docuit dumtaxat Angelos esse corporeos, nego maj: conc: min: et consm. Ut Synodus probaret hanc illationem, *Angeli possunt pingi*, sufficit veram esse aut unam, aut alteram hypotheticae propositionis partem, nempe quod aut Angeli circumscripti sint, aut in humana specie apparuerint Haec postrema vera est et prior etiam, quatenus Angeli, assumptis corporibus circumscribuntur. Optima est ergo enim conse-

quutio scilicet pingindi sunt Angeli, quoniam Synodus adprobavit. Sed Angelos constare corpore proprio, in proprii corporis specie adparuisse, quod scribit in suo dialogo Ioannes, id quidem, nec VII Synodus adprobavit, nec ad propositam quaestionem de pingendis SS. Angelorum Iconibus pertinebat.

§. 271. *Contra.* Atqui Synodus adprobavit, Angelos proprio corpore constare; Ergo n. r. Prob subsm. Synodus generalis post allata verba, ait: « Sicuti cum » Incorporeos appellamus Angelos, aut animas; id» circò sic appellantur quod ex materialium quatuor » elementorum permixtione non constent, nec ejus» modi sunt corpora crassa, et solida qualia nobis » circumfusa sunt ». His positis, en probatio. Concilium solummodo ostendit Angelos non habere corpora solida, et ponderosa instar hominum, non vero denegat ipsis corpora minus solida; instituit tantummodo antithesim inter corpora hominum animabus informata, et corpora subtilissima depravatis non subjecta affectionibus, eo modo, quo cupiditatibus obnoxia sunt humana hominum corpora, plus sensitivo appetitu subjecta, magisque idonea ad animam inficiendam; ergo etc.

§. 272. R. Et primo, ut omne auferatur dubium, legenda est fidei professio, quam Synodus Act: IV. emisit: « Veneramur Imagines Sanctorum, » et incorporeorum Angelorum, qui tamquam ho» mines, figura humana justis apparuerunt ». Ex quibus verbis ly *incorporeorum*, non minus ac *tamquam homines*, nullimode colligitur admisisse Concilium dici posse, Angelos habere realia corpora, diverso modo ac hominum corpora. 2. advertendum est, quod etiam post Lateranense Concilium non expressa, et formalis haeresis sit corporeos appellare Angelos; Concilii namque is tantum fuit scopus, eaque intentio ut deliramenta Albigensium damnaret, qui Manichæorum admittebant errores, et a malo prin-

cipio visibilia omnia producta esse adserebant. An vero spirituales creaturae invisibiles omni prorsus corpore careant, vel sic generaliter dicuntur, quia non solido, ac ponderoso, sed levissimo circumscribuntur corpore, extra Concilii mentem hoc esse fatemur.

§. 273. *Dices* 1. Multi Sancti Patres, Angelos, corpus, saltem subtile, atque agile habere docent; Ergo non sine temeritate asseritur contra eorum doctrinam, Angelos esse penitus incorporeos.

§. 274. R. Quidquid sit de antiquis illis Patribus, de quibus videantur Eruditi, quoad nos, paucis respondebimus, eos nempe omnes scripsisse ante Concilium Lateranense IV. Illo scilicet in tempore, in quo quaestio de Angelorum spiritualitate, salva fide, poterat in utramque partem tueri; quare illorum testimonia nostram thesim confringere non valent (1).

§. 275. *Dices*. 2. Saepe Daemones rebus corporeis alliciuntur, ut cithara Davidis (I. Reg. Cap. XVI. v. 23.), et fumo jecoris cujusdam piscis fugantur, ut Tobiae (Cap. VI.); Qua de caussa Ecclesia in exorcismis applicat fumum rerum fœtidarum: Sed si ipsi non essent corporei, rebus corporeis allici, aut fugari non possent; Ergo Angeli etc.

§. 276. R. Saepe etc: alliciuntur tamquam spiritus, signis, conc: maj: tamquam animalia cibis, et ut corporei sunt, n.; sed etc, conc: min: et nego consm. Alliciuntur quidem Dæmones aliquibus rebus corporeis ut sibi collatis in signum honoris; sicuti fugantur per ea, quae sibi exhibentur in signum dedecoris, et ignominiae, vel quatenus dissipatur humor corporeus, cui dæmones insidebant, vel ex supernaturali virtute, ut legitur de spiritu malo Saul, qui

---

(1) Vid. Frassen De Natura, et substit. Angel. Art. II.

Davide canente, et citharam pulsante recedebat; vel quia per illam musicam humor malinconicus Regis, quo Dæmon eumdem vexabat temperabatur, vel quia tandem temperabatur Divina virtute.

§. 277. *Dices* 3. Adserere Angelos esse incorporeos, est adserere aliquid, quod sit contra Sacram Scripturam, atque SS. Patres; ergo Angeli etc. Prob: ans. Sacra Scriptura non semel Angelos appellat ignem urentem, et multi SS. Patres Angelos vocarunt aereas potestates; D. Augustinus (Cap. 115. ad Nebridium) ait, non ens aliquod creatum, sed Deum dumtaxat incorporeum esse. Eamdem firmarunt sententiam Hilarius, et Fulgentius, testantes Angelos duplici constare substantia, spiritu, et corpore, hac distinctione, quod boni ætereo, seu igneo, mali aereo donati sint corpore; quod idem sensit Cyrillus Alexandrinus. Cesarius (dialogo 1.) ait: *Corpus habent secundum naturam suam quemadmodum ventus, aut ignis, aut fumus, aut aer:; atque ita passim alii nonnulli;* ergo etc.

§. 278. R. Et primo dist: Sacra Scriptura sæpe vocat Angelos ignem urentem, et SS. Patres, corporeos, lato sensu, atque metaphorico, conc:, proprio sensu, nego ans; ergo etc. Verum est, Sacram Scripturam Angelos vocare ignem urentem, at per ignem non intelligitur verus, atque realis ignis, sed charitas; nempe ideo ita vocantur Angeli, vel propter charitatem, ardorem, vel magnum fervorem in excipiendis divinis mandatis. Vocantur quoque Angeli corporei, non quasi vera corpora, et realia haberent; sed sensu nimis lato, prout nempe tale nomen importet rem veram atque realem, vel prout certo, ac determinato loco circumscribuntur. Corporeum namque multoties sumi potest, large scilicet pro re vera, et reali, in quo sensu ad Colossenses dicitur, habitare in Christo plenitudinem divinitatis corporaliter, idest vere; et realiter, et in hoc sensu sumitur in praesentia Sanctis Patribus; 2. sumi potest pro eo, quod certo,

atque determinato loco definitur, et non est ubique, quo sensu inquit Cassianus, et Nazianzenus, solum Deum esse incorporeum. 3. sumitur pro omni eo, quod subest accidentibus, in quo sensu a D. Augustino (Epist: 212.) anima vocatur corpus, sed hæc non obstant nobis in praesenti, quia hic nos loquimur de corpore stricte, et rigorose. Quare cum Scriptura vocat Angelos ignem urentem, non accipit ignem pro igne vero, atque reali, vel materiali, sed pro igne tantum metaphorico, significante charitatem, ardorem et fervorem in excipiendis divinis mandatis. Et Sancti Patres cum Angelis corpus attribuunt, non loquuntur de vero corpore materiali, sed tantum Angelos vocant corporeos, quatenus vel circumscribuntur, vel accidentibus subsunt; revera isti Patres qui videntur, Angelis corpus tribuere, in aliis locis aperte fatentur Angelos incorporeos esse; et Augustinus ipse, qui dubitare de spiritualitate Angelorum visus est, perpendens quomodo Angeli crucientur in igne, cum sint incorporei, ait (lib: 2. de Civit: Dei Cap. 10.): Spiritus « illos incorporeos poena corporalis ignis affici, » veris quidem, sed miris, atque ineffabilibus modis ». Cæterum si nonnulli ex SS. Patribus Angelis tribuunt corpora aerea, vel ignea, id non fecerunt assertive, sed tantum dubitative, quia tunc temporis, et praecipue ante Concilium Lateranense, nulla certitudo habebatur de Angelorum spiritualitate; ideoque discurrebant secundum Philosophos, praecipue Platonicos, nihil addendo de sua auctoritate. Dici etiam posset, ipsos in tantum vocare Angelos potestates aereas, in quantum possent aerea corpora assumere, ut denotetur eorum maxima agilitas, atque subtilitas. Illud tandem certum est, quod si laudati Patres modo extarent, nobiscum sentirent; nostramque opinionem probarent: Igitur etc.

Quæres. *An Angeli sint immortales?*

§. 279. R. Cum Angeli corpore proprio, et sibimetipsis naturaliter unito careant (§. 262.); sintque substantiæ pure spirituales (§. 259.); corrumpi certe atque interire non possunt; sunt proinde natura immortales. Sed Deus eos annihilare potest? bene quidem: At eos non annihilat, sed in aeternum servat; quare sunt etiam immortales beneficio Dei (Vid. Frassen cit. q. II.).

Quæres. *Utrum Angeli, specie differant inter se, vel solum numero?*

§. 280. R. Angeli solo numero differunt inter se. Nam « Angeli omnes, ait S. Basilius (Lib. III. » contra Eunomium.), ut appellationis unius, sic » et naturae omnino sunt ejusdem invicem. In di» gnitate quidem est differentia, in natura vero com» munio: nam et stella differt a stella in gloria, » natura vero stellarum omnino est una ». Eadem repetit Concilium Florentinum (Sess. XX.): « Et » S. Athanasius (Epist. IV. antioc.): Una et ea» dem est, inquit, essentia Angelorum, sicut etiam » una est essentia hominum ». Tandem S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. II. in Joan.): « Angelus, scri» bit, ab altero Angelo nulla re differt, secundum id » quod sunt Angeli: nempe pro eo, quod cum sint » ejusdem omnes speciei, in unam naturam colli» gantur (1).

(1) Vid. Laurent. Berti Lib. X. de Theolog. Discip. Cap. IV. Juvenin Tomo III. Dissert. I. de Angelis Cap. III.

CAPUT III.

De Angelorum creatione.

§. 281. *Animad:* Angelos substantias esse a Deo creatas, et quidem in tempore, res est Scripturarum Oraculis, Conciliorum definitionibus, SS. Patrum testimoniis, atque ipsis a ratione deductis argumentis, comprobata. David namque (Psalmo 148.), post quam Angelos, aliasque creaturas ad laudandum Deum invitaverat, subjunxit de illis: *Quoniam ipse dixit et facta sit, ipse mandavit, et creata sunt.* Apostolus Paulus ad Colossenses (Cap: I. v. 16.). *In ipso* ait *condita sunt universa in Cœlo, et in Terra, visibilia, et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnino per ipsum, et in ipso creata sunt.* Apocalypsis pariter (Cap: IV.) dicitur, Deum fecisse Cælum, et Terram, mare, et *omnia*, quæ *in eis sunt.* Symbolum Nicænum proponit credendum esse « in Deum Patrem » Omnipotentem factorem Cæli, et Terræ, visibilium » omnium, et invisibilium ». Quod etiam confirmatur ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. summo Pontifice celebrato cujus verba inferius referemus Idipsum sentiunt communiter Patres; inter quos audiatur D. Augustinus, qui (Lib: 1. de Genesi ad literam c. 14.) sic loquitur: « Catholica fides præscribit « et certissima ratio docet, nullam naturarum mate» riam esse potuisse, nisi ab omnium rerum non » modo formatarum, sed etiam formabilium inchoa» tore Deo, atque creatore ». Verum hoc ratione quoque suaderi peroptime potest: Nam Angeli quoqumque modo concipiantur, Entia necessaria non sunt, sed contingentia, finita, atque limitata: cum autem omne ens contingens ab alio dependeat, rationemque sufficientem suæ existentiæ non in propria essentia, sed in alio Ente necessario habeat; nullo negotio erui-

tur Angelos rationem, sufficientem suae existentiæ in Deo habere; adeoque fuisse a Deo Creatos; et quidem non ab æterno, sed in tempore Etenim clare asseritur in Sacris Literis; ut Gen: 1. quod *Deus in principio creavit Cœlum, et terram;* ubi per ly in principio, S. Ambrosius in Hexameron lib: 1. c. 3.), et D. Augustinus lib: II. de Civitate Dei, et alii communiter intelligunt principium temporis, Prov: 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Joan: 19. ait Christus: *Clarifica me Pater, claritate, quam habui apud temetipsum priusquam Mundus fieret.* Idipsum ratio naturalis ostendit. Nam Angeli sunt entia facta, sive creata a Deo; ens autem creatum pugnat esse in æternitate, quippe creatura principium supponit, æternum omne principium excludit; definitur quippe æternitas, *instans initio carens, et fine.* Creatum supponit transitus de non esse ad esse, æternum omnem transitum excludit. Angelos itaque, ab æterno creari, esse nequit; quod si non potuerunt creari; non fuerunt de facto creati; ac producti. His igitur suppositis En.

§. 282. *Schol:* Bene habet ostendisse Angelos creatos fuisse, sed quando, ante Mundum corporeum? vel una cum ipso? In quonam loco suam creationem obtinerunt a Deo? Quaestiones sane difficiles sunt hæ. Quapropter variae circa eas sunt

SS. Patrum ac Theologorum sententiæ.

§. 283. Græcus quidam Scriptor in vetusto codice m. s. apud Petavium lib: 1. c. 15. audacter adfirmat, omnes propemodum per Orbem Ecclesiae ministros, intelligibilem omnem, et Angelicam Naturam, ex nihilo ante hunc Mundum extitisse. Basilius vir in primis doctus, et acutus (Hom: 1. in Hexameron) censet, Rempublicam spirituum ante cor-

poreum Mundum extitisse. « Erat, inquit, hac pro-
» ductione Mundi status antiquior, tempore anterior
» sempiternus perpetuus: creaturas autem in ipso crea-
» tor omnium, et opifex perfecit intelligibile lumen
» eorum, qui eum amanda felicitate dignum nempe
» rationales, neque adspectabiles naturas, et omnium
» intelligibilium ordinem ». Eadem docet S. Greg. Naz: (Orat 38.); eadem Chrysostomus, aliique magno numero Graeci Patres antiquiores. Sed et ipse Ioannes Damascenus (2. c. 3.) in eadem est sententia «. Decebat, inquit, primum, intelligibilem sub-
» stantiam creari, tunc sensibilem, ac demum ex
» utraque compositum hominem ». Enimvero non discesserunt Patres Græci a vetusta Philosophorum sententia. Maxima namque Græcorum Philosophorum pars, Dæmones ante conditum Mundum corporeum extitisse docuerunt. Legatur Plato in Timæo. Eadem quoque fuit opinio earum Nationum omnium, quae chaos Mundo præestitisse docebant. Iam vero ex latinis Theologis idem fatentur meliores, et vetustiores. Ambrosius L. 1. in Hexameron Cap. V. « Angeli,
» inquit, Dominationes, Potestates, etsi aliquando
» coeperunt, erant tamen quando hic Mundus est
» factus ». Idem scribit Hilarius lib: 12. de Trinitate; Hieronymus quoque in c. 1. Epistolæ ad Titum « haec habet »: Sex mille necdum nostri Orbis im-
» plentur anni; et quantas prius æternitates, quanta
» tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbi-
» trandum est, in quibus Angeli, Throni, Domi-
» nationes, cæteræque virtutes servierint Deo »? Idipsum adfirmat Beda, aliique non pauci. In contrarium tamen aliqui tum veteres cum maxime Recensiores iverunt. Ex Græcis Epifanius, Theodoretus, Basilius Seleuciensis, aliique. Ex Latinis Augustinus, Gennadius, et alii. At Scholastici quidam post IV. Comitia Generalia Lateranensia, Anno 1215. sub Innocentio III. Papa, et Federico II. Imperatore con-

vocata, Ecclesiae dogma esse arbitrantur, Angelos simul cum hoc Mundo corporeo conditos fuisse.

§. 284. Quod vero ad 2. quaestionis partem attinet, discrepant inter se Theologi. S. Augustinus lib: III. de Gen: ad Literam, et Rupertus in Gen: c. 11. arbitrantur, Angelos fuisse creatos in superiore parte aeris, Suarez, et Delgatillus putant eos in Cœlo Sydereo fuisse productos. Alii vero, ut D. Thomas art: 4. Strabo in c. 1. Gen:, Beda hom: Hæxameron, Magister sententiarum, Alensis, Brancasius etc: volunt in Cœlo Empireo creatos fuisse. Quaenam vero sit nostra sententia, infra patebit, nunc

PROPOSITIO I.

Admodum probabile est, Angelos simul cum Mundo Corporeo fuisse productos.

§. 285. Prob: 1. ex Sacra Scriptura. Genesi cap: 1. *In principio Creavit Deus Coelum, et Terram.* In principio; priusquam scilicet quidquam creasset; ita S. Aug:, S. Epiphanius, aliique plures. (C. XX. v. 11.). *Sex diebus fecit Dominus Cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt*; omnia nempe, quæ in Cælo continentur, ac proinde etiam Angeli eo tempore creati fuerunt, proindeque non ante Mundum corporeum.

§. 286. Prob: 2. Ex Concilio Lateranensi IV. ubi dicitur, Deum simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidisse naturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam, et mundanam. In quo illae voces *simul ab initio temporis*, simultatem durationis, et particula *simul* opponitur particulae *deinde*, quae ibi significat postea.

§. 287. Prob: 3. Ex Sanctis Patribus. S. Augustinus explicans illud Geneseos testimonium *fiat lux* per lucem illam Angelos intelligit ea die a summo

creatore Omnium Deo productos; ait siquidem (c. v. n. 20. Lib: Imperfecti de Genesi). « Alia est lux de » Deo nata, et alia lux quam fecit Deus; nata de » Deo lux est ipsa Dei Sapientia, facta vero lux est » quaelibet mutabilis sive corporea, sive incorporea. » Et (lib: XI. de civitate Dei c. 33.): In principio » creavit Deus Caelum, et Terram, quibus nominibus » universalis est significata creatura, vel spiritualis, » et corporalis, quod est credibilius; vel magnæ duæ » Mundi partes, quibus omnia quae creata sunt, con» tinentur ». Epiphanius haeresi 65. « Illud inquit » evidenter Divinus sermo declarat, nempe post sy» dera productos Angelos, neque ante Cœlum, ter» ramque constitutos ».

§. 288. Prob: 4. ratione Theologica. Nam Deus tunc debuit Angelos creare, quando cognovit esse necessarios; cognovit autem esse necessarios, quando voluit creare Cœlum, et Terram; ergo simul cum Cœlo et Terra eos creavit, et non ante. Major patet; quippe Deus nihil frustra agit. Minor probatur. Angeli juxta Apostolum ad Hebraeos c. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*; ergo Deus cognovit eos esse necessarios in creatione Cæli, et Terrae, tunc siquidem necessarii erat Angeli, cum Deus iis uti volebat ad sua judicia homini manifestanda. Neque dicas, Angelos potuisse ante Mundi creationem produci ut Deo famularentur; nam hoc in casu sequeretur, debuisse etiam ab aeterno produci, cum Deus sit aeternus; ultroquamquod, Deus est in seipso beatus, nec ullo indiget; unde nulla necessitas aderat producendi Angelos ante Mundum corporeum. Rursus si Angeli ante Mundum corporeum fuissent a Deo creati, vel statim peccarunt, vel in accepta justitia aliquamdiu perseverarunt. Primum esse nequit; quippe non potuissent in tartarum tradi cruciandos igni, nec in aere relegari, cum nec tartarus, neque ignis, nec aer, imo nec Mundus existebat; perseverarunt ergo

in gratia, et postea, quando Mundus corporeus productus fuit, tunc peccaverunt, et in inferno detrusi fuerunt, at hoc esse nequit; Si enim Angeli perseverarunt perdiu in gratia, fuissent simul in gratia confirmati cum Angelis Sanctis, qui stantes per liberum arbitrium, majorem divinorum beneficiorum amplitudinem acceperunt; ergo etc. Tandem tunc Angeli fuerunt creati, quando locus existebat, in quo debebant morari; sed locus existentiae Angelorum fuit Cælum et Terra; ergo Angeli simul cum ipsis fuerunt creati; adeoque etc.

Adversariorum objectiones solvuntur.

§. 289. *Objic*: 1. Ex Sacra Scriptura satis constat, Angelos jam extitisse ante Mundum corporeum; Ergo simul cum Mundo corporeo creati non fuerunt. Prob: ans. Deus Job alloquens (Cap. XXXVIII.): *Ubi eras*, inquit ei, *quando ponebam fundamenta Terræ . . . . Cum me laudarent simul astra matutina*; *et jubilarent omnes filii Dei*? Ubi ex versione Septuaginta Interpretum, ita legit Cassianus: *Quando facta sunt Sydera laudaverunt me omnes Angeli mei boni*. Quibus positis, en argumentum. Ex dictis, Angeli boni erant, quando Deus ponebat fundamenta Terræ, eamque creabat; Ergo ex Sacra Scriptura etc.

§. 290. R. n. consm. Laudato in loco Deus loquitur cum Iob ei ostendendo, Orbis creationem, multis sæculis anteriorem fuisse ipso Iob. Nec contra nostram thesim facit, cum in astrorum creatione dicatur, quod Angeli omnes Deum laudaverint; Nam Stellæ creatae fuerunt quarta die, in qua jam Angeli creati fuerant; quippe non desunt, qui dicant, eos prima die (§. 500. T. III.) creatos fuisse.

§. 291. *Contra*. Atqui antequam Deus poneret fundamenta Terrae, Angeli jam creati fuerant; Ergo n. r. Prob: subsm. Apud eumdem Iob (Cap: XL.),

de Beemoth dicitur. *Ipse est principium viarum domini;* idest creationis rerum; Atqui per Beemoth intelligitur Lucifer, qui Beemoth peccando factus est; per vias vero Domini *ad extra* intelliguntur creaturae; Ergo Lucifer et ceteri Angeli ante omnes alias res creatas producti fuerunt; adeoque etc.

§. 292. R. admitt: auct: in sensu tamen explicando. Nomine Beemoth, laudato in loco, litteraliter intelligitur Elephas, aut aliud animal terrestre ex genere Dragonum. Sed dato etiam quod intelligeretur Lucifer, quid inde? Nihil certe contra nostram thesim; Nam optime dici potest Lucifer *initium viarum Domini*, quia prima die creationis cum luce a Deo conditus fuit; vel *initium viarum Domini*, ordinis praelatione, non temporis quantitate, ut inquit venerabilis Beda.

§. 293. *Contra.* Atqui omnes omnino, ante Mundum corporeum, Angeli extiterunt; Ergo a capite argum. Prob: subsm. S. Hieronymus super Epistolam ad Titum (Cap. 1.), ita scribit: « Sex millia » nondum nostri temporis complentur annorum, et » quanta tempora, quantasque saeculorum origines » fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, » Dominationes, ceterique Ordines Deo servierant ». Ex quibus en argumentum. Ex D. Hieronymo, Angeli ante Mundi creationem serviebant Deo, et Deum laudabant; Ergo etc.

§. 294. R. dist: antec. Et Hieronymus ibi loquitur in propria sententia, nego antec:, refert solummodo sententiam aliorum, conc:, et n. consm. S. Hieronymus laudato in loco, non loquitur a seipso, sed illorum profert sententiam, qui sustinebant, ante Mundum, quo coepit tempus saeculare, extitisse tempus aeternum absque mutabilitate, et in eo immutabiliter ponebant, Angelos Deo servisse. Quod adsertum falsum esse ex iis, quae in probationibus diximus, clare demonstratur.

§. 295. *Objic:* 2. Si Deus ante Mundum hunc adspectabilem Angelos non creasset, fuisset otiosus; ne ergo otio torpuisse dicatur Deus, dicendum potius est, Angelos creasse ante Mundum corporeum.

§. 296. R. Nihil ineptius, atque insultius dici poterat, quam quod in argumento dicunt adversarii, quod nempe si Deus ante Mundi visibilis creationem Angelos non creasset, fuisset otiosus; quasi ad Angelos producendos Deo fuisset opus impendere, et applicare spatium illud, et tempus, quod juxta nostrum concipiendi modum ab aeternitate usque ad verum temporis initium effluxerat (si tamen sic loqui fas est); nempe usque ad Mundi creationem, quod absurdissimum est; cum unico Dei nutu illorum creatio facta fuerit: dixit Deus *fiat lux, et facta est lux, et divisit lucem a tenebris*. Praeterea non ex quo ab aeternitate usque dum ei placuit Mundum hunc condere, nihil aliud ad extra produxerit Deus, dicendus erit otiosus; nam ipse in se est semper infinite occupatus, cum ejus intellectus semper in intelligendo seipsum permanserit, et voluntas in amando amore beatifico suam essentiam; Persona Patris in producendo Filium, et Filius cum Patre inspirando Spiritum Sanctum; quae omnia semper fuerunt, sunt et erunt Deo necessaria *ad intra*; licet ad *extra*, nihil, nisi in tempore creaverit.

§. 297. *Contra.* Atqui sicuti ad intra, ita ad extra quoque necesse erat Deum communicare seipsum; Ergo stat argum. Prob: min: sub: Deus est infinite bonus; Sed Ens infinite bonum est summe sui diffusivum; Ergo communicare seipsum Deus debuit; Adeoque etc.

§. 298. R. dist: 1. cons: Communicare, quando, et quomodo, et cum placuerit; hoc est omnino libere, et nulla necessitate coactus, conc:, secus, n. utramque cosm. Deus quia infinite bonus, est quoque sui ipsius summe diffusivus; at omnino libere,

et quando, et quomodo, et cui placuerit; nulla vero necessitate fuit compulsus, sicuti ad Mundum hunc producendum, ita ad aliquod quodcumque bonum sive naturae, sive gratiae supernaturalis, creatis entibus elargiendum. Nam: *quis prior dedit illi*, ait Apostolus ad Romanos (Cap: XI. v. 34.), *et retribuetur ei?* Ex quo itaque Deus sit infinite bonus, atque ideo summe sui diffusivus, erui non potest, ante Mundum corporeum Angelos produxisse.

§. 299. *Contra*. Atqui ante Mundi creationem se Deus Angelis communicaverat; Ergo n. r. Prob: subsm. Loquens de Incarnatione Verbi Apostolus ad Titum (Cap: 1. v. 2.), *quam*, ait, *promisit*, *qui non mentitur Deus*, *ante tempora sæcularia*. Quibus positis en argumentum. Antequam crearetur hic Mundus, erat aliquis, cui fieret incarnandi Verbi promissio; Atqui is homo certe non erat; Ergo Angelus, ante tempora saecularia, hoc est ante Mundum hunc corporeum creatus; Adeoque etc.

§. 300. R. Falsum omnino est Verbi divini Incarnandi promissionem, Angelis ante Mundum corporeum creatis factam fuisse. Constat namque ex Scripturis apertissime, illam non Angelo, sed homini, nempe Abrahae factam fuisse; ita enim in suo Cantico testatus est Zaccharias Sacerdos, imo ipsa BB. Virgo Maria (Lucæ II. 55.), cum dixit: *Sicut loquutus est ad Abraham*, *et semini ejus in sæcula*. Ceterum per promissionem hic intelligi potest ipsum propositum, atque Decretum Dei de mittendo filium suum ad salutem hominum, uti loquitur Apostolus ad Timotheum (Epist. II. Cap. I v. 9.) scribens: *Secundum propositum suum et gratiam*, *quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia;* hoc est per plura saecula ante Verbi Incarnationem, gratia haec Patribus promissa fuit. Nihil ergo ex adducto superius testimonio, contra nostram thesim eruitur.

PROPOSITIO II.

Probabilius est, Angelos in Cælo Sydereo creatos fuisse.

§. 301. Nam Lucifer superbiendo dixit (Isaiae Cap. XIV. v. 23.): *In Cælum conscendam, super astra Cæli exaltabo solium meum: similis ero Altissimo*; In Cælum ergo, observat S. Hieronymus (In loc. laud. Isaiæ.), ubi solium Dei est, volebat ascendere. » Non ergo erat in eo Caelo, in quo Altissimus sedem habebat; Atqui Caelum illud est Empyreum; Ergo non in Caelo Empyreo, sed Sydereo creati fuerunt Angeli. Deinde non decebat Angelos in Caelo Empyreo creari. Nam cum Caelum Empyreum sit sedes Dei, nulla pugna ibi est, sed perpetua pax; non luctus, et clamor, sed laetitia, et gaudium; nec ulla vicissitudo, sed perpetua stabilitas, et aeternitas; Atqui in Caelo praelium magnum factum est (Apocal. Cap. XII. v. 7.); atque de Caelo Lucifer cum suis caecidit; Ergo etc (1).

Quaeres. *Num Angeli creati fuerint in gratia, et quali gratia donati?*

§. 302. R. Angeli omnes creati fuerunt in gratia, et gratia habituali, sive sanctificante. Nam in Ezechiele, secundum interpretationem Patrum, sub typo, et nomine Regis Tyri, dicitur de Lucifero (2): *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore . . . omnis lapis praetiosus operimentum tuum . . . Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec est inventa iniquitas in te.* Sed et S. Augustinus veritatem hanc disertis verbis de-

(1) Vid. Frassen citat. de Angel. exist. art. I. q. 2.
(2) Exechiel. Cap. XXVIII. v. 12.

clarat, dicens (1): Angeli « simul ut facti sunt, ei » a quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, ad» haeserunt; *et infra.* Istam, bonam nempe volun» tatem, quis fecerat; nisi ille, qui eos cum bona » voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhae» rent, creavit, simul in eis et condens naturam, » et largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, » hoc est Dei amore, numquam Sanctos Angelos » fuisse credendum est. Isti autem, qui cum boni » creati essent, tamen mali sunt: mala propria vo» luntate, quam bona natura non fecit; nisi cum a « bono sponte defecit, ut mali caussa non sit bo« num, sed defectus a bono » (2).

Quaeres. *Quodnam fuerit malorum Angelorum peccatum?*

§. 303. R. fuit superbia. Nam de Lucifero sub nomine Regis Babylonis ait Isaias (3): *Detracta est ad inferos superbia tua . . . Quomodo caecidisti de Caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: in Caelum conscendam, super astra Cæli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* De eo proinde dicitur (Cap. XLII.). *Ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Hinc Sanctus senex Tobias, inter alia documenta aeternae memoriae digna, quae dedit Filio suo (Cap. IV. v. 14.): *Fili mi*, dixit, *superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Idipsum docent unanimiter Patres; audiatur pro omnibus S. Athanasius, qui haec inquit (Orat. de Virginit.): « Ingens remedium est » ad salutem animi humilitas; cum Satanas non ob » scortationem, aut adulterium, aut furtum deje-

(1) Lib. XII. de Civit. Dei Cap. IX. Legatur
(2) Vid. Dupasquier Tomo II. Disp. VII.
(3) Cap. XIV. v. 11. 12. 13.

» ctus sit a Caelo, sed superbia illum inde praeci-
» pitavit infra ipsam abyssum etc. »

Quaeres. *Utrum Angeli sint in loco, et qua ratione ibi moveantur?*

§. 304. R. I. Angeli sunt in loco (1). Nam quidquid existit, alicubi existit, alias daretur aliquid existens, quod nullibi esset, quod repugnat; ergo etc. Deinde ii sunt in loco, qui in loco operantur; Atqui Angeli operantur in loco; siquidem corpora hominum movent, hominibus apparent; Ergo etc.

§. 305. R. II. Angeli vere et realiter moventur successive, et continue. Nam Jacob (Genesis Cap. XXVIII. v. 12.) *vidit scalam, et per eam Angelos ascendentes, et descendentes.* Apud Job (Cap. I. v. 7.): inquit Satanas: *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Tobias junior meruit habere Angelum Raphaelem comitem in via (Lege integrum Tobiae Librum.); qui eum duxit, et reduxit sanum: Mariae Virgini missus est Angelus Gabriel annuntians ei Verbi Incarnationem, qua peracta, discessit (Lucae Cap. I.); Angeli pastoribus nuntiaverunt Christi Domini nativitatem, et ab eis discesserunt (Lucae Cap. II. 2. 15.). Tandem ut alia taceamus, Joannes Evangelista pluries testatur, se modo vidisse Angelos de Caelo descendentes (Apocalyp. Cap. X. v. 1. et XX. v. 1.); modo volantes per medium Caelum (Ibid. Cap. XIV. v. 6.); modo se ab illis deductum in desertum (Ibid. Cap. XVII. 2. 3.), etc. Ergo etc.

(1) Definitive, qua sunt finiti; ideoque, neque ubique esse queunt; non vero sunt in loco circumscriptive, quia spiritus sunt, et ab omni materiae concretione immunes: quare non sui partibus, quas non habent, spatii partibus, a quo circumscibantur, respondent, Ergo definitive existunt etc.

Quaeres. *Qua ratione Angeli loqui invicem dicantur?*

§. 306. R. Quod Angeli vere inter se loquantur est de fide, et innumeris Sacrae Scripturae, sanctorumque Patrum testimoniis comprobatum; quomodo autem loqui invicem dicantur, non conveniunt inter se Theologi; probabilius tamen est, Angelos invicem loqui cum unus ad alterum suam intellectionem, et volitionem dirigit per actum, quo vult, ut sive intellectio, sive volitio, aut utraque simul illi pateat. Angeli enim, ait S. Joannes Damascenus (Lib. II. Cap. III. de fide.) « Non lingua, atque auribus opus » habent, verum citra sermonis adminiculum, cogi» tationes suas, atque consilia inter se communi» cant ». Quapropter mutuum colloquium, per eam quam unanimiter accurationes Theologi, conceptuum mutuam directionem appellant, exercent.

CAPUT III.

De bonorum Angelorum custodia, malorumque infestatione.

§. 307. *Animad.* Joannes Calvinus cum Magdeburgensibus negat cuilibet homini Angelum custodem a Deo deputari. Libertini, Diabolum pro imaginatione accipiunt, quæ nihil est; unde quidquid de Diabolo dicitur, veluti quid frivolum, inane, et pure imaginarium contemnendum esse putant. Qui, quam pessime allucinentur, et Sacrae refragentur Scripturae, nemo non videt.

PROPOSITIO I.

Quilibet homo sive fidelis, sive infidelis, sive justus sive peccator peculiarem habet Angelum ad sui custodiam a Deo deputatum.

§. 308. Prob. I. ex Scripturis. Genesi legitur (Cap. XXIV. v. 40.): *Dominus mittet Angelum suum tecum.* Ibidem (Cap. XLVIII. v. 16.) ait Isaac Patriarcha: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* In Psalmis (Psal. 33. v. 8. et 90. v. 11.) Propheta David ita loquitur: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos: Angelis suis Deus mandavit de te, ut costodiant te in omnibus viis tuis.* In Exodo ait Deus (Cap. XXIII. v. 20. 21.): *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via . . . nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris.* Judith obtruncato capite Holoferni, et ad suos reversa, dixit (Cap. XIII. v. 20.): *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem.* Tandem Christus Dominus veritatem hanc mirifice confirmat apud Matthaeum (Cap. XVIII. v. 10.), dicens: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei.*

§. 309. Prob. II. ex Sanctis Ecclesiæ Patribus. Origenes (Homil. XX.): « Adest, inquit, unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia » Dei Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, » qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, » et miserationibus exposcendis quotidie videant faciem Patris, qui in Cælis est ». S. Basilius (Lib. III. contra Eunom.): « Quod singulis, ait, Fidelium adsit Angelus, ut pædagogus quidam et pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, etc.

» S. Joannes Chrysostomus : » Unusqisque fidelium, « inquit (Hom. III. in Cap. I. Epist. ad Coloss.), » habet Angelum . . . . . Si ergo habemus Ange» los, modeste nos geramus, tamquam nobis ad» sint quidam paedagogi ». S. Hieronymus: Ma» gna dignitas, ait (In Cap. XVIII. Matth.), ani» marum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis » in custodiam sui Angelum delegatum ». Tandem S. Joannes Damascenus scribit (Lib. II. Ortod. Fidei Cap. III.): Cuique hominum sigillatim designa» tus est Angelus custos, director et dux, ad bo» num incitans, a malo præservans, et ad felicitatis » æternæ gloriam instimulans ».

§. 310. Prob. III. his rationibus Seraphici Doctoris (In II. Dist. XI. art. I. q. I. in Resolut.): » Conveniens est hominem lapsum deputari Angelicæ » custodiæ, et Angelum deputari ad custodiendum » hominem : tum quia decet altitudinem Divinae po» tentiæ; tum quia etiam decet dulcedinem miseri» cordiae. Altitudinem namque decet Divinae po» tentiae duplici ex causa. Una est quia Deus non » solum modo vult honorari in se, sed etiam in suis » servis. Unde non sufficit altitudini Divinæ poten» tiae, quod Angeli ministrent sibi : sed etiam quia » ad ostensionem excellentis suae potentiae hoc ab » eis exigit, ut ministrent etiam creaturæ suae. Alia » est ratio : quia cum Deus habeat Diabolum, et » ejus Daemones adversarios, magis decens est, quod » ipse eos vincat per suos ministros, ut per hoc osten» datur potentia manus Dei, qua non solum potens » est in se, sed etiam in servis suis, et ut non in» debite possit Dominus exercituum appellari. Ordi» nem vero Sapientiae similiter decebat. Nam hic est » ordo, quem Divina lex in suis operibus exequitur » et conservat, ut postrema per media deducat ad sum» ma. Quoniam igitur Angelus tum ratione immorta» litatis naturae, tum etiam ratione gratiae consum-

» matae medium tenet inter Deum, et hominem lapsum: decens fuit, ut Deus hominem adjuvaret, » et custodiret per Angelum. Dulcedinem etiam decet » Divinae misericordiæ, quæ aperuit sinum homini » lapso, nec in aliquo ei defecit, quod spectat ad » salutis suae promotionem . . . . . Et quia habet » adversarium impugnantem, dedit ei ministrum » custodientem, vel custodem auxiliantem, ut sic » ex nulla parte miseria remaneret humana sine Divinæ misericordiae subsidio, et beneficio. Competebat igitur homini lapso dari, ex hac triplici ra- » tione, Angelicam custodiam ». Adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 311. *Objic.* 1. Apostolus ad Hebraeos de Angelis scribens, ait (Cap. I. v. 14.): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* Ergo soli praedestinati, qui salvantur habent Angelum custodem, et non alii; Adeoque etc.

§. 312. R. cum Cornelio a Lapide (In hunc loc.): Apostolus ait « Angelos mitti *propter eos qui haere- » ditatem capient salutis*, idest, propter eos qui sal- » vandi sunt, non quasi reprobi Angelorum auxilio » destituti sint, aut Angeli non mittantur ad omnes » omnino homines, etiam eos, qui ob peccata sua » damnandi sunt: contrarium enim constat ex com- » muni Ecclesiae sensu, quo sentit, et docet: ad » omnes omnino homines, adeoque ad quemlibet re- » probum, dum nascitur, a Deo destinari Angelum » Custodem; Sed quod fructus ministerii Angelorum » maxime pateat, et appareat in iis, qui salvi fiunt, » et quos Angeli de facto ad salutem perducunt, » quodque ministerium Angelorum efficax non sit, » et suum effectum, idest salutem non sortiatur, » nisi in iis, qui Angelos audiendo, iisque obediendo

» salvi fiunt. In reprobis enim inefficax est omne » Angelorum ministerium, omnisque eorum labor, » et cura perditur. Rursum hisce verbis significatur » finis, et terminus ministerii Angelorum esse hic, » ut scilicet homines perducant ad salutem ».

§. 313. *Contra*. Atqui solis electis, et praedestinatis, non vero aliis Angelus custos conceditur; Ergo n. r. Prob. subsm. Ex concessis Angelorum ministerium, quoad reprobos, frustratur effectu suo; Sed quoad frustratur effectu suo, fieri per Angelos a Deo non permittitur; Ergo solis electis etc.

§. 314. R. dist. maj. frustratur effectu suo ex parte Angeli, n. maj., ex parte reprobi, conc. maj. et dist. min. Sed quod frustratur effectu suo ex parte Angeli, fieri per etc., conc. min., ex parte reprobi, n. min., et consm. Deus, quantum ex se est, vult omnes homines salvos fieri (§. 189. T. III.); unde omnibus media, queis possent salutem consequi, sufficientia paravit (§. 249. ib:); inter quae merito Angelica custodia computatur. Angelus ergo, quantum ex se est, munus suum exequitur erga hominem sibi commissum, eum retrahendo a malo, et ad bonum incitando, salva illius libertate, quod si homo non vult a malo abstinere et bonum facere, culpa ipsius est. Angelus facit, quod Dei mandato facere debet, homo facit quod vult. Angelus facit, sed non frustra, quia Dei mandatum exequitur; Deus non frustra mandavit, quia dedit, quod se dare promisit; media nempe ad salutem consequendam; homo effectu Angelicae custodiae, nempe aeternae salutis consecutione frustratur culpa sua. Caeterum sicuti gratia sufficiens, licet effectu suo frustretur, frustra tamen a Deo non datur; (§. 163.) ita nec etiam Angelica custodia.

§. 315. *Contra*. Atqui ministerium Angelorum, quoad reprobos, frustratur effectu suo, etiam ex parte Angelorum ipsorum; Ergo n. r. Prob: sub: Omne

ministerium erga homines impendunt Angeli ad hoc, ut ipsi salutem consequantur æternam; Ergo operam perdunt cum reprobis, qui salutem non consequuntur; Adeoque etc.

§. 316. R. dist. ans: Omne etc: ad hoc solum, ut illi salutem consequuntur, nego antecedens, ut etiam Dei jussa exequentes ei placeant: conc: Ergo etc:, n. utramque consm. Angeli sunt Dei ministri ad faciendam in omnibus ejus voluntatem destinati. Ipsi ergo, quoties ad hominum custodiam mittuntur duo adgrediuntur, nempe exequutionem divini mandati, et procurationem æternæ salutis illorum, ad quorum custodiam deputantur; et de facto exequuntur divinum mandatum, homines in custodiam suscipiunt, atque erga eos ea omnia efficiunt, quae ad illorum salvationem procurandam sufficientia sunt. Interim homines non salvantur; quid ergo? frustratur ne eorum ministerium? utique; sed ex parte illorum qui damnantur; non vero quoad Angelos ipsos; quia quantum ex ipsis fuit, Dei mandatum exequuti sunt: uti supra jam dicebamus.

§. 317. *Objicies* 2. Soli Deo convenit hominem custodire; ergo non Angelo. Prob ans. Iobi 70. Hæc leguntur verba: *Quid faciam tibi o custos hominum*? Psal: 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel . . . . Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.* Quibus positis ita; quod Scriptura asserit, sanctum a viro Theologo tenendum est: sed ut ex citatis verbis patet, Scriptura asserit, Deum custodem esse hominum; ergo soli Deo convenit etc.

§. 318. R. dist: consm. ergo soli Deo etc. custodia perfecta conc:, custodia utilis, n. consm. Ex Seraphico Doctore dist: II. art: 1. quaest: 2. desumpta est distinctio hæc; ubi asserit perfectionem Dominicæ custodiae nequaquam excludere utilitatem

Angelicae custodiae. Etenim sicut propter suae bonitatis ostensionem, et ordinis Sapientiae manifestationem, creaturis communicavit posse operari, et effective illas creaturas producere, ipso tamen producente, et cooperante, sic dedit Angelis posse hominem custodire, cum tamen a servorum suorum custodia nusquam ipse desistat, quia talis custodiendi virtus Angelicæ gratiae et naturae dignitatem decebat. Divina ergo custodia Angelicae non officit, immo divina confert ad Angelicae perfectionem, et Angelica ad Divinæ commendationem, et manifestationem.

§. 319. *Contra.* Atqui solius Dei costodia est homini utilis, atque necessaria; Ergo n. r. Prob: subsm. In Psalmo 136. ait David Profeta: *Nisi dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam;* Ergo a pari, nisi Dominus hominem custodierit, in vanum vigilat Angelus, qui custodit eum; Adeoque etc.

§. 320. R. admitt: auct:, dist: sensum. Nisi etc, sive per se, sive per alios a se destinatos, in vanum etc: conc:, secus, n. antec:, et dist: 1. cons: A pari etc: sive per se, sive mediate per alios, conc:, secus n. consm utramque. Cum Deus solus sit Omnipotens, et cui nemo potest resistere, sint cujuslibet generis mala, quae quisque patitur, habet Deum in sui custodiam? dicat lætus cum Regio Psalte (Psal. 22.): *Non timebo mala quoniam te meum es.* Contra: habeat quis paratos omnes homines ad ipsum tuendum, atque custodiendum; quid ei tales proderunt, si contra se iratum habeat Deum? Iam vero custodia Angelorum, quoad homines est custodia ipsius Dei, mediantibus Angelis; Ergo non est hominibus inutilis, et frustranea, sed utilissima, atque necessaria.

§. 321. *Contra.* Atqui taliter solius Dei est hohominem custodire, ut circa ipsos omnino excludat utilitatem custodiae Angelicae; ergo etc. Prob subs. Custodia ordinatur ad praeservandum hominem, ne in

Diaboli captivitatem ruat: sed illius est praeservare in libertate, cujus est liberare, et redimere a captivitate; ergo cum solius Dei sit a captivitate redimere, etiam solius ejus est in libertate custodire, et conservare, ac proinde taliter solius Dei est etc.

§. 322. R. negando paritatem cum eodem Seraphico Doctore. Redimere enim est mortuum vivificare: solius autem Dei est vitam primo conferre, et eam deperditam de novo restituere. Custodire autem dicit tantum aliquem beneficentiae actum externum, qui potest a praestantiori natura, et virtute conferri, ideo non mirum, si Angeli, qui hominem a Daemonis captivitate solvere non potuerunt, possunt tamen eum custodire et servare ne rursus in eam praeceps per peccatum ruat.

PROPOSITIO II.

Cuilibet etiam Regno, Provinciæ, imo Civitati deputatus est Angelus custos.

§. 323. Prob. ex Scriptura. Apud Josue Angelus inquit (Cap. V. v. 14.): *Sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio.* Apud Danielem (Cap. X. v. 14.) legitur ei dixisse Angelum; *Ego veni propter sermones tuos. Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus: et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum.* Quare S. Basilius: « Angeli omnes, » inquit (Cap. V. v. 14.), ut appellationis unius, » sic ejusdem sunt naturae inter se: attâmen alii ipsorum gentibus praepositi sunt, alii vero fidelium » singulos consequuntur. Quanto autem gens uni viro » proponenda est, tanto majorem necesse est Angeli » qui gentis principatum habeat, esse dignitatem,

» dignitate eorum, quibus singulorum tutela com_
» missa est ». Ergo, etc. (1).

PROPOSITIO III.

Haud improbabile est, singulis quoque hominibus Angelum malum a Dæmonum principe deputari; At non semper, et pro lubitu, sed in quantum Deus permittit ad meritum Electorum, vel ad pœnam Reproborum.

§. 324. Prob. I. ex Scripturis. In Libro Tobiæ legitur (Cap. VI. v. 14.): Saram Raguelis filiam habuisse Daemonium, qui septem ei viros interfecit, a quo liberata fuit auxilio Raphaelis Archangeli, qui illud in deserto superioris Ægypti relegavit. Apud Job (Cap. I. v. 7. 12.) interrogatus Daemon unde veniret: *Circuivi*, respondit, *terram, et perambulavi eam*, obtinuitque a Domino potestatem ut Job affligeret. Christus Dominus discipulos hortatur, ut orationi vigilantes insistant, dicens praecipue Simoni (Lucae Cap. XXII. v. 31.): *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* Unde postea fratribus Simon ipse dicebat (Epist. I. Cap. V. v. 8. 9.): *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide*; et Apostolus ad Ephesios scribens, eos hortatur, dicens (Cap. VI. v. 11. 12.): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.*

(1) Constans, et communis Theologorum sententia est, sicuti olim Synagogam Judaeorum, ita nunc fortiori jure Ecclesiam Catholicam Angelum tutelarem habere praesidentem; nempe S. Michaelem Archangelum. Non desunt etiam Patres, qui singulis Diaecesibus singulos Angelos tutelares assignant.

Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus Principes, et Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus.

§. 325. *Prob.* II. ex Partibus. « Liberi arbitrii » nos condidit Deus . . . . sicuti in bonis operibus » perfector est Deus, scribit S. Hieronymus (1) . . » ut pervenire valeamus ad calcem: sic in malis, » atque peccatis semina nostra sunt incentiva, et per- » fectio Diaboli » : Anima, inquit S. Ambrosius (In Lucam.) numquam a corpore vinceretur, nisi prius ad Diabolo tentaretur. Satanae, ait S. Grego- » rius (Lib. XXIX. Moral.), semper voluntas ini- » qua est, sed nunquam potestas injusta, quia a se- » metipso voluntatem habet, sed potestatem a Deo. » Quod enim inique ipse facere appetit, hoc Deus » nonnisi juste facere permittit ». *Et alibi* (2): Sa- » tanas singulis hominibus, vitiis convenientibus in- » sidiatur ».

Quaeres. *Utrum mali Angeli obsideant corpora, et quomodo?*

§. 326. R. ad 1. affirmative. Nam Diabolus, serpentem obsidens, Evam seduxit. Christus Dominus a corporibus obsessis Angelos malos pluries ejecit, eosque quondam in porcos intrare permisit (3); hancque potestatem Daemones e corporibus obsessis ejiciendi suis Discipulis dedit (Ibid. Cap. X. v. 8.); Ergo etc.

« §. 327. R. ad 2. cum Seraphico Doctore (4): » Daemones per naturam suae subtilitatis, et spiri- » tualitatis possunt quaecumque corpora penetrare: » et in eis sine aliquo obstaculo, et impedimento

(1) Contra Jovin. Epist. IX. Cap. IX.
(2) Vide Bernardum a Bononia Tomo II. §. 3. R. 2.
(3) Matthaei Cap. VIII. v. 32.
(4) Secundo Dist. VIII. art. 1.

» subsistere; ratione vero suae potestatis possunt ea » corpora, in quibus sunt, commovere, et conturbare. Sicut enim spiritus spiritui impenetrabilis » esse non potest, sic nec corpus potest resistere » spiritui: ideo Daemones quantum est de potestate, » et subtilitate naturae, possunt corpora humana intrare, possunt etiam et vexare, nisi prohibeantur » a superiori virtute, et cum permittuntur introire, » et vexare, tunc dicuntur corpora obsidere » (1).

Quaeres. *An Angeli sive boni, sive mali possint efficere miracula?*

§. 328. R. Neque Angeli boni, neque Angeli mali efficere possunt veri nominis miracula. Nam Angeli sunt a Deo creati (§. 281.); Atqui verum miraculum vires totius naturae creatae excedit (§. 75. T. 1.); Ergo etc. Mirabilia, tamen atque stupenda efficere possunt, quae vires naturae creatae non excedunt. Et de facto plenae sunt historiae mirabilium operum, quae ab Angelis tam bonis, quam malis effecta sunt (2).

Quaeres. *Quo in loco sint mali Angeli; et quam pœnam patiantur?*

§. 329. R. Quorumdam satis nota opinio fuit, Angelos e Caelo expulsos, partim in aere, partim in terra remansisse, partim vero nigra tartara petiisse. Voluerunt alii, non omnes Daemones nunc gehennali pœna, *damni* nempe, et *sensus* puniri, sed reservari usque ad judicii diem. Probabilius tamen videtur, Angelos malos, a Caelo delapsos, ad inferos descendisse; Nam Princeps Apostolorum inquit (3):

---

(1) Vid. Frassen Appedix, de Infestatione, et cruenta Daemonum in homines saevitie; ubi de Strygis, Lamiis etc.

(2) Vid. Estius Lib. II. Sent. dist. VII. §. 18.

(3) Epist. II. Cap. II. v. 4.

Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. Dicendum tamen est, eorum aliquos, Deo sic permittente, de Inferno multoties exire, et modo terram circuire, ut homines vexent, et exerceant; modo per aera volitare (§. 327.); Unde Apostolus (Ad Ephesios Cap. VI. v. 12.): *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in Cælestibus*; et S. Jacobus (Cap. IV. v. 7.): *Resistite Diabolo, et fugiet a vobis.*

§. 330. R. 2. Poena malorum Angelorum in inferno est duplex; nempe poena *Damni*, et poena ignis æterni, quæ *sensus* dicitur. Nam Christus Dominus haec adversus reprobos in die judicii proferet verba (Matthæi Cap. XXV.): *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus. Discedite a me maledicti*: en poena damni, privatio nempe Divinae visionis, ac fruitionis; *in ignem æternum*: en poena sensus, ignis nempe æterni. S Judas Apostolus quoque ait (v. 6.): *Angelos, qui non servaverunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Tandem in Apocalypsi (Cap. XIX. v. 9.) habetur, quod *Diabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris.* An autem Angeli de Inferno exeuntes ab igne torqueantur, haud facile est definire. S. Bonaventura allatis opinionibus inter se oppositis, quarum una dicit, quod torqueantur, altera quod non, concludit (In II. VI. Art. III. q. 2.): « quae harum positionum sit verior: » haec autem quae ultimo data est, videtur pro- » babilior.

Quaeres. *Quot sint Angelorum ordines?*

§. 331. R. Novem sunt Angelorum Ordines; Nempe 1. Angeli; 2. Archangeli; 3. Principatus; 4. Virtutes; 5. Potestates; 6. Dominationes; 7.

Throni; 8. Cherubim; et 9. Seraphim. « Esse namque, ait S. Gregorius Papa (Hom. XXXIV. in Evang. ante med.), Angelos, pene omnes Sacri eloquii paginae testantur: Cherubim vero; atque Seraphim, saepe ut notum est, Libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque Ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait: sive Throni, sive Potestates, sive Principatus, sive Dominationes. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines; quibus dum Angeli, et Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adjuncta sunt, proculdubio novem esse Angelorum Ordines inveniuntur ».

Quæres. *Quot sint Angelorum Hierarchiæ?*

§. 332. R. Hierarchiæ nomine intelligitur hic Sacer Principatus. Tres autem sunt Angelorum Hierarchiæ. Prima, et suprema continet Seraphim, Cherubim, et Thronos. Secunda, sive media, Dominationes, Virtutes, et Potestates. Tertia, sive infima Principatus, Archangelos, et Angelos. (1)

(1) Praeter citatos Auctores, qui plura legere cupit, consulere poterit Dionysium Petavium Tomo III. de Theolog. Dogmat.

TRACTATUS III.

De Sacratissimo Incarnationis Verbi Dei Mysterio.

§. 333. *Magnum* illud, atque ineffabile *pietatis Sacramentum*, *quod* (1) *manifestatum est in carne justificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in Mundo; assumptum est in gloria*; Incarnationis nempe Filii Dei in praesenti Tractatu exponendum aggredimur. Quid difficilius? Quid momentosius? Quid simul dulcius? Sacramentum hoc *absconditum est a sæculis* (Ad Ephesios Cap. III. v. 9.) *in Deo*; quis ergo digna de eo promere poterit? Sacramentum hoc fundamensum est, et basis fidei nostrae; *hæc est namque vita æterna ut cognoscant te solum Deum* (Joann. Cap. XVII. v. 3.); *et quem misisti Jesum Christum*; Quid ergo illius explanatione plus poterit esse necesse? Sacramentum hoc est summae Dei erga nos dilectionis argumentum; *in hoc enim apparuit charitas Dei in nobis quoniam* (Epist. I. Joan. Cap. IV. v. 9.) *suum Unigenitum misit Deus in Mundum*; quid ergo dulcius, quam in illius contemplatione immorari? Fidei ergo lumine ducti, quae de hoc tam ineffabili Mysterio, scienda sunt, exponemus.

CAPUT I.

De Verbi Divini Incarnationis possibilitate.

§. 334. *Def*: 1. *Incarnatio* hic, juxta communem Theologorum, et Ecclesiae Catholicae sensum, *est ineffabilis conjunctio personalis, vel Hypostatica Divinae et humanae naturæ in una Verbi Divini*

(1) Epist. I. ad Timot. Cap. III. v. 16.

persona, *ex qua unus est Christus Dominus.* Hinc S. Cyrillus: Tunc Christum intelligimus, ait, cum » cogitamus unum in utraque natura; nam hoc u» trumque, humanitas scilicet, et Divinitas, unus » est Christus » in unitate personae. Et S. Augustinus explicans illud Joannis (Cap. I. v. 14.): *Verbum caro factum est*: » Cum lego, inquit (Lib. » XIII de Trinit. Cap. XIX.): *Verbum caro factum* » *est*, *et habitavit in nobis*, *in verbo* intelligo ve» rum Dei Filium, in *carne* agnosco verum homi» nis Filium, et utrumque simul in una persona Dei » hominis ineffabilis gratiae largitate conjunctum ».

§. 335. *Schol.* Porro hujus Mysterii fidei summa haec est (Ex Symb. S. Athan.): *ut credamus*, *et confiteamur*, *quia Dominus noster Jesus Christus*, *Dei Filius*, *Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus*, *et homo est ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus*, *perfectus homo*, *ex anima rationali*, *et humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum Divinitatem*, *minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit*, *et homo*, *non duo tamen*, *sed unus est Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem*, *sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ*, *sed unitate personæ* (1).

§. 336. *Def.* 2. *Possibile dicitur id omne quod fieri non repugnat.*

§. 337. *Coroll.* Semper ac ergo ostenditur, aliquid nullam ad essendum involvere contradictionem, illud possibile esse demonstratur.

---

(1) Variis nominibus Mysterium hocce a SS. Ecclesiae Patribus exprimi solet, neque appellari: sed de his plura hic prosequi brevitatis ratio non patitur. Consulatur si placet Honoratus Tournely de Incarnatione art. 1.

§. 338. *Schol.* Dupliciter autem potest aliquid possibile demonstrari, *positive* nempe, atque *negative.* Tunc aliquid possibile *positive* demonstratur, cum ex ideis notis, atque perpectis, certo et evidenter colligitur illud esse possibile; tunc vero aliquid possibile *negative* demonstratur, cum licet rei alicujus idea satis explorata non sit, atque perspecta, nulla tamen afferri potest vera repugnantia, quae rem illam impossibilem esse ostendat. Primi generis demonstratio etiam *directa* dici solet, *indirecta* vero secundi generis.

§. 339. *Animad.* Incarnationis Mysterium, nedum possibile, sed jam peractum a mille octingentum triginta et unum annis, Catholici omnes et fideles certum exploratumque habent. Gentiles solummodo semper, quibus Verbi Divini Incarnatio stultitia visa est, illud impossibile prorsus adfirmarunt. Sed nil mirum; cum ipsi caeci sint, atque in tenebris errorum miserrime ambulent. Mirandum illud est, nostris temporibus, ex christianis parentibus, aliquos fuisse in lucem editos, qui lucem Christianae fidei aversantes, atque veritatem odio habentes, Verbi Divini Incarnationem, sicut et caetera Sacrosanctae nostrae Religionis Mysteria, cachinnis excipiunt, atque veluti inventum quoddam inane aspernatur. Inter quos principem locum non immerito occupare videtur Volney, impio opere (1): *Le rovine, ossia meditazioni sulle rivoluzioni degli Imperi.* Heu portenta humanae perfidiae!

(1) Jure propterea, quocumque idiomate, a Sacra Indicis Congregatione decreto 17. Decembris 1821. proscriptum fuit.

PROPOSITIO I.

Divini Verbi Incarnatio impossibilis non est.

§. 340. Prob. Deus infinita qua pollet potentia efficere valet longe plura, atque admirabiliora iis quae fecit; *apud eum enim non est impossibile omne verbum* (Lucæ Cap. I. v. 37.); Ergo potest Verbi Divini Incarnationem efficere; adeoque etc. Prob. consa. Si Deus Verbi Divini Incarnationem efficere non posset, id esset quia Incarnatio intrinsece repugnaret; Atqui Incarnatio intrinsecus non repugnat; Ergo etc. Prob. min. Si Verbi Divini Incarnatio repugnaret, ea repugnantia vel esset ex parte Verbi, vel ex parte naturæ humanae assumptæ; Atqui neutra ex parte adest talis repugnantia; Ergo etc. Prob. min.; et primo quod non repugnat Incarnatio ex parte Verbi. Nam si repugnaret, hoc vel maxime foret, quia Verbum assumendo humanam naturam, videretur mutari, limitari, novasque denominationes adquirere, quas antea non habebat, quod cum cum Verbi Divinitate, et immutabilitate pugnat; Atqui hoc est falsum; Ergo etc. Prob. min. ex D. Thoma « Non sequitur, *ait hic*, quod » Verbum sit substantialiter mutatum per hoc quod » humanam naturam assumpsit; nulla enim muta» tio in ipso Verbo Dei facta est, sed solum in » natura humana, quæ est a Verbo assumpta, se» cundum quam competit Verbo et generatum esse « temporaliter et natum, non autem secundum seipsum. » Hinc S. Augustinus: « Non mutatum est: » *inquit* (Lib. 85. Quæst. 73.), Verbum susce» ptione hominis, sicut nec membra veste induta mu» tantur. *Et alibi* (Epist. 127. ad Volusianum.): » Homo Deo quidem accessit, non Deus a se reces» sit »: Quare merito canit Ecclesia (In Off. Circumc. Antiph. ad Bened.); *Deus homo factus est:*

id quod fuit permansit ; et quod non erat assumpsit non commixtionem passus , neque divisionem. Cum ergo in Incarnatione omnis mutatio, limitatio etc. non sit ex parte Verbi, sed ex parte humanitatis, quae assumpta a Verbo, novas perfectiones adquisivit, procul dubio ex parte Verbi non repugnat. Sed neque ex parte naturae humanae assumptae repugnat. Nam propria subsistentia naturæ assumptæ, a natura ipsa distinguitur ; et est veluti effectus secundarius substantiæ creatæ, proinde a natura ipsa separabilis ; quare nihil obstat quominus a Verbo infinita vi, atque potentia praedito, suppleatur, alias Divinae omnipotentiae derogaretur ; Ergo etc. Adeoque etc. (1).

PROPOSITIO II

Incarnationis possibilitas, et a fortiori ejus existentia, nequit adversus Gentiles positive *demonstrari, sed* negative *tantum.*

§. 341. Prob. I. pars. Nam D. Paulus (Ad Ephesios Cap. III. v. 9.) de Mysterio Incarnationis loquens, illud appellat *Sacramentum absconditum a sæculis in Deo;* illiusque doctrinam *sapientiam* vocat (I. ad Corinth. Cap. II. v. 7.) *in Mysterio, quæ abscondita est.* « Abscondita est ergo Dei Sa» pientia, concludit S. Ambrosius (In hunc locum.) » non in verbis, sed in virtute est : non humana

(1) Videatur S. Bonaventura in III. Sent. Dist. I. art. I. q. I. Quae autem contra hanc Propositionem afferri solent, legantur penes Boucat Tomo V. Dissert. I. de Incarnatione. Juenin Tomo IV. Dissert. I. q. I. Frassen Tomo VII. Disput. I. Sect. I. Henno Tomo II. Tract. de Incarn. Disp. I. Concl. 2. Boyvin Parte II. q. 2. Dupasquier Tomo VI. q. I. Concl. I. Tournely Tomo IV. q. II. art. I.

» ratione possibilis, sed Spiritus efficacia credibilis.
» Et jam antea Isaias dixerat (Cap. LIII. v. 8.):
» *Generationem ejus quis enarrabit*; Unde citatus
» S. Doctor (Lib. de Fide Cap. III.) » : Mihi qui-
» dem inquit, impossibile est generationis scire secre-
» tum . . . . . Non sola admirabilis ex Patre ge-
» neratio Christi; admirabilis etiam ejus generatio
» ex Virgine ». Idipsum alii Patres confirmant. Au-
diatur prae aliis S. Dionysius Areopagita (Lib. de
Divinis Nominibus Cap. II.) qui sic loquitur: « Jesu
» in carne apparitio, et ineffabilis est sermone, et
» omni ignota intelligentiae; ipsi quoque antiquissimo
» Angelorum primati non satis perspecto »; Ergo etc.

§. 342. Prob. 2. hac ratione theologica. Ut aliquid positive demonstretur possibile nota esse debet et omnino comperta idea illius (§. 338.); Atqui Mysterii Incarnationis idea abstrusissima prorsus est et cuilibet intelligentiae creatae impervia (§. 341.); Ergo etc.

§. 343. Prob. II. pars. Illud negative possibile demonstratur quod impossibile nequit ostendi (§. 338.); Atqui revera Incarnationis Mysterium nequit ostendi impossibile (§. 340.); imo impossibile non esse demonstratur, attenta divina infinita potentia, et naturae humanae perfectibilitate. Ergo etc. (1).

---

(1) Vid Frassen De Incarnatione Tract. I. Disp. I. art. I. q. I. Tournely De Incarn. q. II. art. 2. pluribus argum. Juenin Tomo IV. Parte IV. Dissert. I.

PROPOSITIO III.

Verbi Divini Incarnatio nedum possibilis, sed jam peracta adversus Gentiles indirecte, demonstratur.

§. 344. Prob. Jesus Christus Mariæ Filius jam extitit in Judaea miraculorum effector (1), potens opere, et sermone; Id enim negare, esset omnem fidem historicam ipsam e medio tollere; atqui is fuit Verbum Divinum incarnatum; Ergo etc. Prob. min. Si Jesus Christus Mariae Filius non fuisset Verbum Divinum incarnatum; ejus miracula falsa fuissent; Atqui fuerunt vera, et infallibilia; Ergo etc. Prob. min. Christus inter alia, oculos cæci nati aperuit, paraliticos curavit, Dæmones a corporibus obsessis ejecit, insuper mortuos ad vitam revocavit; haec autem omnia fecit palam, et videntibus ipsis infensissimis Judæis calumniatoribus, praecipue Scribis, et

---

(1) Lucae XXIV. v. 19. Extat de hoc Flavii Josephi, inter Hebraeos historici disertissimi, insigne testimonium Lib. XXVIII. de Judaeorum Archæologia Cap. IV., quod est sequens: » Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur, et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suae accusatum, Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum Divini Vates haec aliaque quamplurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo genus Christianorum ». Vid. Laurent. Berti Lib. XXV. de Theolog. Discipl. Cap. IX. Tournely de Incarnatione q. III. art. I. 4. Arg. Boucat de Incarnat. Dissert. II. art. V. Petrus Daniel Huetius Demonstratione Evangelica Prop. III. §. IX.

Pharisæis, quibus plebs omnis adsentiebatur, tanta evidentia facti, ut omnes obstupescerent, nec haberent; quid contra objicere possent. Videamus: Cæco nato visum restituit; miraculum fuit ita publicum, ut notius fieri non potuit, reclamantibus licet invidis, et obsistentibus Pharisaeis (Joannis Cap. IX.). Homo in Synagoga degens habebat Dæmonium immundum, Jesus illum liberavit: *Ex hoc factus est pavor in omnibus* (Lucæ Cap. IV. v. 33. et seq.) *et colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt: Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Cum Jesus undequaque turbis circumdaretur, nonnulli paralyticum in lecto portantes, nec invenientes qua parte illum inferrent, et ponerent ante eum, ascenderunt super tectum, et per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit (Lucæ Cap. V. v. 19. et seq.): *Homo remittuntur tibi peccata.* Murmurantibus Scribis, et Pharisaeis quod talia dixisset; Jesus ut ostenderet se potestatem habere dimittendi peccata, ac Deum se esse, dixit paralytico: *tibi dico, surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam;* quod et ille confestim fecit, tanto stupore omnium qui aderant, ut omnes Deum elata voce magnificantes, dicebant; *quia vidimus mirabilia hodie.* Mortuum Filium Viduæ Naim ad vitam revocavit; sed vide qua facti notorietate. Ibat Jesus, et turba copiosa. Cum appropinquaret portae Civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris viduae; misericordia motus Dominus, jussit, quos ferebant loculum, stare, et accedens dixit, audientibus omnibus, et factum conspicientibus: *Adolescens tibi dico surge*: Ad quae verba, confestim *resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui*, et domum

suam cum matre reversus est (1): *et exiit hic sermo in universam Judaeam de eo.* Sed non minus nota, atque divulgata fuit Lazari resurrectio (Ioannis Cap. XI.). Lazarus quatriduo ante mortuus fuerant, jamque in monumento corrumpi cœperat, fœtebat enim: Jesus ad monumentum ejus veniens, adstantibus plurimis, et expectantibus quid ipse esset facturus, voce magna clamavit: *Lazare veni foras*: et statim prodiit qui fuerat mortuus, et vinculis solutus abiit, et per plures annos vixit. Quod miraculum cum tanta evidentia diffamatum fuisset, tantaque manifestatione declaratum; ut non posset vel occultari, vel negari, in causa fuit, cur Principes Sacerdotum cogitarent ut Lazarum interficerent. Decepti, quasi is, qui mortuum resuscitavit, resuscitare non posset occisum. Miracula ergo quae fecit Jesus Christus vera miracula fuerunt, quae nonnisi a Deo, propria virtute fieri possunt. Ergo Jesus Christus est verus Messias. Prob. consa. Si Jesus Christus talia, et tanta faciens miracula non esset verus Messias, Deus nempe Homo, ejus miracula facta fuissent in confirmationem falsae doctrinae; Atqui vera miracula in confirmationem falsae doctrinae fieri non possunt (§. 79. T. I.); Ergo etc. Prob. maj. Miracula quae fecit Jesus Christus, fecit in confirmationem suae doctrinae, qua omnes docebat se esse vere Filium Dei, a Deo Patre in terris missum, ut omnes vitam haberent aeternam etc., uti patet in pluribus locis Evangelii; Si ergo Jesus Christus verus Messias non fuisset, ejus doctrina fuisset falsa, imo maxime Deo injuriosa, et blasphema fuissent ejus verba; Ergo falsam doctrinam miraculis confirmasset; quod esse nequit. Cum ergo constet, Jesum Christum et vera miracula patrasse, et in confimationem doctrinae de sua Divinitate;

(1) Ibid. Cap. VII. v. 11. et seq.

cumque certum, exploratumque sit, veram esse doctrinam, quae miraculis veris confirmatur (§. 94 T. I.); profecto Verbi Divini Incarnatio etc.

Dices. Jesu Christi miracula si fuerunt patrata uti narratur, vera utique miracula fuisse negari nequit. Sed non constat, num revera ita a Christo patrata fuerint, uti refertur. Nam qui ea narrant ejus discipuli fuerunt, qui mira, et magna supra humanum modum, de proprio magistro scribere potueruut, quin revera facta fuissent; Ex miraculis ergo Jesu Christi, non satis ostenditur adversus Gentiles, ipsum esse verum Messiam, eo vel maxime quod libri Evangeliorum a Gentilibus, ut Divini non habeantur.

§. 345. R. Jesu Christi miracula taliter patrata fuerunt, qualiter a Sacris Scriptoribus patrata fuisse narratur. Nam Scriptores praefati neque decepti fuerunt, neque alios decipere voluerunt. Decepti non fuerunt, quia fuerunt nedum contemporanei, sed testes sive de visu, sive de auditu ab iis qui viderant propriis oculis. Alios decipere noluerunt, quia erant viri probi, ingenui, atque ab omni fallendi suspicione alieni. Sed nec fallere alios potuissent. Nam cum recenter acta fuerant, quae ipsi scripserunt, si aliquid falsi in ipsorum narrationibus fuisset, objectum illis statim a Judaeis, et Gentilibus persequentibus fuisset; et ipsi mendaces, et falsarii detecti, omnem fidem amisissent, nec amplius Christianam Religionem constabilire potuissent, quod contra factum est (1); Ergo etc.

---

(1) Vid. Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica per totum: sed praecip. Tomo II. Prop. IX. Cap. XXXIX. Cerboni de Theologia Revelata Tomo II. Lib. 3. art. 2. et §. III.

CAPUT II.

De Incarnationis existentia adversus Judæos.

§. 346. *Animad.* Si qui fuerunt, quibus Verbi Divini Incarnatio indubia, atque penitus explorata esse debuisset, Judaei profecto sunt. Edocti namque ipsi Prophetarum oraculis, Messiam promissum expectabant. Venit Messias ortus ex Tribu Juda, in medio eorum educatus fuit, eorum omnes Civitates, et oppida circumivit, erudiendo, vitia exprobrando, et ubique faciendo signa et prodigia, sanando infirmos, et oppressos a Diabolo, atque mortuos ipsos ad vitam revocando, et tamen ipsi nec eum receperunt, nec eum cognoverunt. Mirabile dictu! Omnes creaturae Verbum Divinum in carne venisse cognoverunt, atque testatae sunt: Angeli cognoverunt, dum in nocte nativitatis ejus: *Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis cecinerunt* (1). « Caeli cognoverunt, quia protinus stellam mise- » runt (2). Mare cognovit, quia sub plantis ejus se » calcabile praebuit. Terra cognovit, quia eo mo- » riente contremuit. Sol cognovit, quia lucis suæ ra- » dios abscondit, saxa, et parietes congnoverunt, » quia tempore mortis ejus scissa sunt. Infernus co- » gnovit: quia hos quos tenebat mortuos, reddidit. » Et tamsn hunc, quem Dominum omnia ipsa in- » sensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Ju- » daeorum corda Deum esse minime cognoverunt, et » duriora saxis, scindi ad poenitendum noluerunt » adversus Judaeos ergo Incarnationis Verbi divini existentiam demonstrabimus.

(1) Lucae Cap. II. v. 14.
(2) S. Gregorius Hom. X. in Evangel.

PROPOSITIO I.

Jacob Patriarcha moriens, de Verbo Divino Incarnato vaticinatus fuit.

§. 347. *Probatur.* Inter alios characteres Verbi Divini Incarnati, duo praecipue in Scripturis recensentur; I. nempe quod erat Missus, sive *Messias*; Unde Moyses Deo dicebat (Exodi Cap. IV. v. 13.) *Mitte, quem missurus es*; Et Isaias (Cap. XVI. v. 1.): *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terrae.* II. quod erat *expectatio gentium*; Quare ejus adventum praenoscens Aggæus Propheta (Aggæi Cap. II. v. 8.): *Venit* ait, *desideratus cunctis gentibus.* Atqui hos duos characteres Jacob Patriarcha tribuit viro ex tribu Judae oriundo; Ergo etc. Prob. min. Jacob Patriarcha moriens, et nuntians singulis filiis suis, quae ipsis eventura erant, Judae dixit (1): *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, nempe Messias, *et ipse erit expectatio gentium*; Ergo Jacob etc.

PROPOSITIO II.

Jacobi Patriarchae vaticinium de Messia, adimpletum jam est.

§. 348. *Prob.* Jacob praedixit tunc Messiam venturum, cum sceptrum, seu Dux, aut legislator de tribu Juda fuisset ablatum; hoc est cum Judaei desinerent habere legitimos Principes, Duces, aut Re-

---

(1) Genesis Cap. XLIX. v. 9. Leg. Berti Lib. XXV. Cap. I. Frassen Tomo VI. de Incarn. Tournely Tomo IV. q. III. art. I. Juenin Tomo IV. Dissert. II. q. II. Cap. I.

ctores; Atqui Judaei multis abhinc annis, hac illac per varias terrae plagas dispersi, vivunt sine Rege, sine Principe, sine Legislatore (1); Ergo etc. Deinde, ex Jacobæo vaticinio tunc venire debebat Messias, quando Judaicum Sceptrum a Judaeis ablatum transiret ad alienigenam. Atqui revera ita factum est; Ergo etc. Prob. min. Christus Dominus Bethlehem natus est, regnante Herode Magno, sub quo census fuit institutus, jussu Augusti Cæsaris, qui ne Judaeam quidem excepit, quam Herodi adjudicaverat, prout constat ex tabulis censualibus, ubi Joseph, et Mariae nomina inscripta leguntur, teste Justino Martyre (In Apolog: 2.), Tertulliano adversus Marcionem; Atqui Herodes fuit alienigena, extraneus, ac peregrinus; Ergo etc.

§. 349. Prob: min: Ac primo quidem ipso nec postulato, nec expectato Iudaeorum consensu, sed solo Romanorum favore, ac ope adjutus, Regnum Judae obtinuit, Imperante Augusto Cesare. 2. Josephus lib: 2. antiquit: Judaicarum Cap. 2. vocat Herodem genere Idumaeum, et lib: 2. de bello Judajco, virum nobilem, et pecuniosum, scribit, gentis suae Judeae principem fuisse. 3. Non Judaeum, sed alienigenam Herodem fuisse colligitur ex Secta Herodianorum, qui sicut docent Tertullianus, Epiphanius etc., ita dicebantur, quod Herodem, ut Messiam agnoscerent, et quod cum esset alienigena, Regnum Judeae occu-

---

(1) De praesenti Judaeorum infelici statu ita scribit Prudentius in Apotheosi.

. . . . Extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur,
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judaeus postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro caede luit, Christique negati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit,
Ex quo priscorum virtus defluxit avorum.

fasset. Hoc autem consequi videbatur ex Jacobæo Vaticinio: *Non anferetur* etc. *Donec veniat cui reservatur*: Huic reservatum esse dicentes, qui erat alienigena, inquit Epiphanius. 4. Idipsum declarant ea, quæ gessit postquam in Regiam dignitatem assumptus est: teste siquidem Josepho (antiquit: lib: 2.), Judæorum instituta peregrinis ritibus violavit, athletica certamina instituit, in honorem Cæsaris Theatrum, et Amphiteatrum extruxit; Davidis sepulcrum reclusit; eos necavit qui ex Regia stirpe erant oriundi, libros omnes, qui de Regum Judæorum genealogia conscripti erant, sedulo inquiri, et comburi jussit, ut scilicet Herodianae familiae, quae nec ex Davidis gente, nec et Judaico genere prodierat, ad Regnum Judeae aditus non praecluderet, ut acute cogitat Eusebius Caesareensis: Et certe tam constans apud Judaeos erat fama, Herodem fuisse alienigenam, ut multi ex ipsis Judaeorum adduci potuerint nunquam, ut in ejus fidem jurarent, plurimique etiam tormentis, et comminatione ad juramentum illud praestandum fuerint compulsi. Denique qui credibile, Herodem fuisse genere Judæum, quem patet, Judæos odio fuisse prosequutum, ut Salomeae sorori suae, ejusque viro, faerale illud dedit mandatum occidendi post suum obitum omnes nobiles Judaeos? Ex his itaque momentis manifeste patet, Herodem non fuisse genere Judaeum, sed alienigenam, ac subinde in nativitate Christi fuisse adimpletum hoc oraculum: *Non auferetur* etc. *Domec veniat* etc. His aliisque de causis SS. PP. in eam abjere sententiam, quos inter, ne unus quidem inventus est, qui Herodem non dixerit alienigenam, quos longum esset sigillatim recensere. Quis quaeso tot Ecclesiae PP. in putidam de genere Herodis fabulam consentisse facile credat, præsertim cum iis preiverit Flavius Josephus Hebraeus, et omnium una vox est Hebræorum Doctorum, qui Regnum Herodianum appellant Regnum Proselytorum; quamquam vero ex Patribus

alii Ascalonitam, alii Idumaeum dicunt, litem mirum in modum componit Julius Aphricanus apud Eusebium, et Epiphanius haeresi 20. Ascalone natus fuit Pater Herodis, qui ab Idumaeis captus est, et in Idumaea degens Herodem hunc genuit, de quo est sermo. Mox a popularibus collata pecunia, una cum Herode filio liberatus, in Patriam reversus est; quam ob causam ab aliis Idumaeus a nativitate est appellatus, Ascalonita ab aliis a prima avorum origine. Quaecumque ea fuerit illius patria, solliciti non sumus, modo constet, ipsum genere, seu prosapia alienigenam fuisse, quod evincitur ex summo Judaeorum Sanctorumque hominum consensu; adeoque etc.

Opposita argumenta enodantur.

§. 350. *Objicies* 1. Quo tempore Christus natus est, Sceptrum e gente Judaica nondum erat ablatum, nec transierat ad alienigenam; ergo Jacobaeum oraculum etc. Prob: antec: Christus natus est in diebus Herodis in Judaea: sed Herodes non erat alienigena, sed Judaeus; ergo etc. Prob. min. Nicolaus Damascenus Herodis familiarius, qui ipsius historiam scripsit, diserte adfirmat, Herodem genus suum duxisse a primoribus Judaeorum, qui e Babilonia in Judæam redierunt. Consentit et Josephus Hebraeus, qui (Lib: 2. antiq: cap. 6.) referens contentionem ortam Caesareae Syros inter, et Judaeos, ait: Judaeos, qui Caesareae erant, ideo Syris praeponi voluisse, quod Urbis Caesareae conditor Herodes Rex fuerit genere Judaeus: Ritus Judaicos observabat: totis viribus conatus est ab introitu Templi interioris arcere Gentiles Romanos milites: Zelumque hujusmodi, et Judaicorum rituum observantiam in ipso commendavit Augustus Caesar, cum audita Herodis filii violenta morte eidem a Patre illata, acute dixit, teste Macrobio: *Paestat porcum Herodis esse, quam Filii-*

um, quoniam hujusmodi animalia, ad esum occidi, Judæorum lege vetebantur. 2. Mariamnem Hircani Magni Sacerdotis Judaeorum nepotem duxit uxorem, quod alienigenis lege vetitum, ut legere est Exodi 14. et Deuth: 17. Demum rogatus ab Augusto, ut aliquam gratiam posceret haud dubie consequendam, suis spretis commodis, petiit, ut statuam, quam Cajus Cæsar in Jaerosolimitano Templo erigendam jusserat, tolleretur, quae quidem omnia, aliaque hujusmodi Judaeum omnino sapiunt; ergo etc.

§. 351. R. dist: ans. Sapiunt Iudæi, apparenter et superficie tenus, conc:, vere, et rigorose, nego ans, et consm. Singula diluamus. Nicolaus quidem Damascenus Herodi æqualis, ostentandi studio ductus, finxit Herodem Judaeum genere, et a Judæis oriundum qui Babilonæ captivi fuerant. Quæ sane fabulosa illius genealogia, jure merito rejicitur a Josepho lib: 4. antiq:, ubi Nicolaum, ut putidum adulatorem traducit, quod eumdem antiquarium Iudæum genere posuisset, inquiens: Quamvis Nicolaus Damascenus cujus genus deducat a primoribus Iudaeorum, qui in Iudæam venerit a Babilonia; sed hoc dixit in gratiam Herodis ejus filii; quem fortuna ad Iudaeorum Regnum evexit. Et sane Iosepho fides habetur multo major; quippe longe post Herodis obitum scripsit, a quo nihil boni sperare poterat, nihil mali metuere. Nec sibi contradicit Iosephus verbis in argumento laudatis, ibi enim litem enarrat subortam inter Iudæos Cesareenses, et Syrios de Jure Civitatis contendentes, causamque primos vicisse, Herodem fuisse Iudæum, quia id tantum historice refert, ut a Judaeis Cesareensibus dictum. Illud tamen calculo suo non probat, sed ut mox diximus, in Nicolaum invehitur, qui ut Herodi palpum ostenderet, eum Iudæum genere fuisse commentus est. Ad ritus autem quod attinet, mirum non est quod Herodes, licet alienigena, Iudajco more vitam instituerit; ejusdem

enim animi fuit, ac sunt cæteri politici, qui dominationem auspicantur, subditis indulgent, eorum moribus se accommodant, ritibus subscribunt, nihil demum non faciunt, ut incertum sibi firment Imperium. Ea mente Herodes, licet Idumæus, ausus non est tentare, ut suorum leges Iudaeis imponeret, sed maluit eorum ritus tolerare, quam immutare, ne illorum animos; jam satis commotos, exasperaret. Verum nec adeo legem coluit Iudaicam, ut nunquam violaverit: enim Templum in Caesaris, quasi Dei cujusquam nomen, et numen erexit, teste Iosepho, quod certe Judaicae legi contrarium est. Templum fateor Jerosolimitanum ornavit, at illud ipsum pluries Asiae Reges muneribus, divitiisque ornarunt eximiis; numquid ii propterea Iudaeis accensentur? Uxorem duxit Iudaeam; et hac in re politicae utilitati potius, quam legi consultum erit, quae habetur Num: 36. Cunctae faeminae de eadem Tribu maritos accipiant. Demum ab Augusto illud unice petiit, ut statua Caj Cesaris removeret de Templo, quod cum maxime Religioni Hebraicæ conveniret, religiosiores inde Iudaeos sibi conciliatum iri speravit, sicque nutantem dominatum principio Regni sui firmare contendit. At rebus deinde compositis, Romanorum armis fretus, contemptis Judæis, multis modis faedavit Religionem, quam fuerat professus; adeoq: etc.

§. 352. *Contra.* Ex concessis Herodes fuit genere Idumaeus; fuit ergo Judaeus. Prob. consa. Iudaei et Idumaei erant consanguinaei; Idumaei namque, qui et Edomaei ab Esaü fratre Iacob, qui Edom, Gen: 25. legitur, ortum trahebant, et praeterea erant Judaeorum fratres juxta illud Deuth: 27. *Non abominaberis Idumaeum, quia frater tuus est.* Deinde uno circiter saeculo ante Christum Joanues Judæorum Pontifex, ac Rex, Idumaeos circumcidi jussit, ubi et ipse Herodes circumcisus legitur fuisse: nunc sic: Judaemi fratres erant Judaeorum, immo

Judaei sanguine, et Religione; sed Herodes erat Idumaeus; ergo etc:; adeoque etc.

§. 353. R. dist. maj. Sanguine, et Religione erant Judæi, seu fratres Judæorum, lato modo sumpti, conc: proprie, idest posteri Jacob et filiorum ejus, nego maj:, et concessa min: dist: cons. Erat Judaeus Herodes cultu, ac Religione, concedo; genere, et prosapia, subdistinguo: indirecte, et secundum lineam collateralem, conc:, directe, nego consm. Eatenus Herodes poterat Judaeus appellari, quatenus Idumaeus qualis ipse erat, ab Abramo quidem, sed non per Jacob, bene vero per Esau descendebat, quae sane cognatio longissima est, duo quippe fratres filios genuerunt, qui non in unam confluere Familiam, sed in duos diversos invicem populos excreverunt. Ab Esaù sive Edom Idumaei a Deo aversi manarunt, a Iacob, sive Israël Israelitae, qui veterem Dei cognitionem perpetuo servaverunt. Primi tanquam alienigenae istorum typum habebant, juxta illud Psalmi 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt.* Cum ergo Herodes Idumaeus ostendatur, alienigena fuit, non genere Iudaeus. Ad rem; Judaeos in triplici differentia statuamus oportet, alios genere tantum, ut illi, qui sub Rege Anthioco, vi tormentorum victi, aut spe melioris sortis illecti, Patrum suorum fidem ejurarunt; alios genere, et Religione, qualis fuit David cum filiis suis; alios denique tantum Religione, ut ibi, qui ex gentibus prognati, ab Idololatria ad veri Dei cultum devenientes, circumcisione donati sunt; hi dicti sunt Proselyti. Fuit autem Herodes Proselytus, universa consentiente Synagoga; nec ergo genere Judaeus.

§. 354. *Contra.* Atqui Herodes, non cultu tantum, et Religione fuit Judaeus, sed genere etiam et prosapia quidem directa; ergo etc. Prob ans. Genere et quidem directe Judæus fuit David; sed Herodes fuit ex stirpe Davidica; ergo etc. Prob. min. Nihil expressius

Sacris literis habetur, quam Messiam nasciturum genere Judaeum, ac etiam de Tribù Juda, imo de stirpe Davidica: Atqui Judæorum non pauci, licet in Scripturis versati, Herodem tanquam messiam coluere; Herodiani propterea nuncupati; ergo etc.

§. 355. R. dist: min: ans. Coluerunt ostentandi studio, aut errore decepti, concedo, secus nego min; et consam. Non est quod miremur, Herodianos vilissimam, odiosamque Judaeorum sectam, Herodem pro Messia coluisse, tametsi non esset genere, sed Religione tantum Iudaeus, quando ipsemet Iosephus, vir aliunde bonus, et simplicis virtutis amicus, Vespasianum Imperatorem habuit pro Messia, eidemque Prophetarum Oracula, quæ de Christo erant, seu ex ostentatione, seu ex animi sententia accommodavit, ob id solum, quod is solus apud Judaeos creatus fuisset Imperator, licet nec genere, nec religione Iudæus. Ergo vere facile crediderim, Herodianos idcirco veluti Messiam coluisse Herodem, quod in eo cernerent Iacobi morientis oraculum atque ita alienigenam probe nosse Iudeæ sceptrum obtinentem. Sed in eo illos errasse quod principem alienigenam Iudeæ sceptrum Christo nascente occupaturum, de quo prophetaverat Iacob Christum ipsum fore stultissime crederent: quare tantum abest, ut ex illorum errore aliquid ad Iudaicum Herodis genus probandum ostendi posset, ut potius illum alienigenam fuisse luculentius evincat.

§. 356. *Objicies* 2. Ex Jacobitico oraculo: *Non auferetur* etc., colligitur, præcipuum certumque signum adventus Messiæ esse defectionem Regni Judaici; Atqui hoc admisso, vaticinium in Nativitate Christi non est adimpletum; ergo etc. Prob: admisso praecipuum, certuumque etc, esse defectionem etc, eruitur necessario, adventum Messiæ esse figendum in alia periodo, in qua primum Regnum Judaeae defecit; Atqui Christus hoc in periodo natus non est; ergo etc. Prob: min. Christus, ut Sacræ literae docent, natus est Herode

alienigena imperante; Ergo Christus natus est 500. annis post defectionem Regni Judajci; Adeoque etc. Prob. 1. consa. Sceptrum de Tribu Juda ablatum est sub Sedecia Rege, tempore captivitatis Babilonicæ, prout declarant, quae habentur n. 14. ultimo Cap. Paralip:, et extremo Regum, ibi enim dicitur qualiter vexata Judaea, et Jerusalem una cum Templo igne consumpta, omnes Judaeos in Babylonem cum Rege captivos traduxerit Nabucchodonosor, sed Sedecias Rex imperavit fere 500. annis super Judam, ante Imperium Herodis Ascalonitae super eamdem Judaeam; ergo etc.

§. 357. R. negando maj. Tempore captivitatis non fuit deletum sceptrum, sed imminutum: enim habetur 4. Regum, Joakim Rex Judæorum, qui a Nabucchodonosor fuit e carcere eductus, et in Regiam restitutus dignitatem; immo tempore, quo hic detinebatur in carcere, Nabucchodonosor, Sedeciam ejus Patruum Regem constituit Judae, et Jerusalem suos habuisse Pontifices, uti Cap. 1. Aggaei. Suos Prophetas, Danielem, Hieremiam, aliosque. Post mortem vero Joakim, Zorobabel ex Tribù Juda et Regio Sanguine oriundus, Populi Judajci praefecturam obtinuit, delegatusque fuit a Cyro Persarum Imperatore post captivitatem Babilonicam, ut Templum Jerusalem ex integro restauraret: igitur non deletum fuit sceptrum, sed imminutum, etc. Caeterum Jacob non unicum, sed duo distincta venturi Messiæ indicia pronunciat. Primo quod sceptrum non esset auferendum: Secundo quod non esset removendus Dux, et Legislator, antequam Messias veniret. Utraque igitur haec auctoritas prius auferri debuit a Juda, quam veniret Messias, itaut tempore ejus, nullus ex Judæis imperaret, nullusque supremam judiciariam, et Legislativam potestatem exerceret. Itaque etsi Judaeis demus, quod tamen concedendum non est, Regnum Judae defecisse tempore captivitatis, tamen tunc ju-

dicaria, et Legislativa potestas non defecit: Immo firma viguerit, damnandi scilicet reos ad mortem, ut ex Historia Susannae, Danielis 13.; nullum est fundamentum asserendi debuisse tunc advenire messiam; adeoque etc.

§. 358. *Contra.* Atqui ita defecit sceptrum de Juda in Sedecia, ut nullus ultra Rex, Legislator, nullus fuerit Princeps ex eadem Tribù, ergo n. r. Prob. subsm. Soluta siquidem captivitàte, modo Persarum Monarchis subditi fuere Iudæi, modo Græcis, donec a Romanis tandem devicti, sub jugo missi sunt, sed hoc temporis intervallo nullos Duces habuerunt Judæi a Tribù Juda oriundos, sed summa rerum potiti sunt Patres, quæ potestas per Assamoneos in ordine sacerdotali firmata est usque ad Herodem, qui devicto Antigono, Cœtum Assamoneorum extinxit.

§. 359. R. Nodus hic est, quod variis responsionibus plerique solvere aggresti sunt Theologi, sed si angustiæ, et ambages inspiciantur quaeis undique scatent excogitatæ responsiones, inferri non potest, felicem successum habuisse; ast quae magis placet, remque proprius videtur attingere, sententiam, accipite. Jacobi morientis oraculum non de sola Judae Tribù, Principibusque eo genere ortis, sed de tota gente Judaica intelligendum est, quae ad Christum usque supremum imperium ita tenuit, ut ex quibuslibet Tribubus Principes suos indiscriminatim habuerint; ita censent sancti PP. Athanasius, Eusebius, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, aliique Ecclesiastici Scriptores, qui sceptrum de Juda ad Christi Domini ortum propterea non defecisse asserunt, quod Judæi usque ad Christi natalem Principes ex gente sua, et ex genere suo semper habuerit, non quod penes unam Judae Tribum steterit ad usque temporis suprema potestas, adeo ut vix ullum inter veteres, præter Cyrillum Alexandrinum reperire sit, qui hanc sententiam suo calculo non probaverit. Id Judaicae gentis

Historia, ex sacris Litteris deprompta multo luculentius evincit, quae praenunciato celebri illo oraculo, usque ad Christum plures tradit, extitisse Judajcae gentis Duces, ac Principes, qui ex Tribù Juda non fuerunt oriundi. Moyses namque et Josue, quos post egressum de Ægypto populus Judajcus habuit, ex Tribù Juda originem non ducebant, sed Moyses erat de Tribù Levi, Josuè de Tribù Ephraim. Jis fato sublatis, terraque promissionis ab Israelitis occupata, secuta est Judicum dominatio, quaee per tredecim tercentos, etamplius annos Judaicum populum summa cum potestate rexerunt, et tamen nonnisi duo ex Tribù Juda recensentur, nempe Othoniel, et Abesal, caeteri ex aliis erant oriundi. Judaico Principatui successit Regium Imperium, quod primus Saul tenuit, ortus ex Tribu Beniamin, cui David ex Tribù Iuda cum longa nepotum serie usque ad Sedeciam successit. Denique post captivitatem supremum dominium fuit penes Pontifices, qui erant omnes ex Tribù Levi, at quoties vaticinium non de tota gente Judaica, sed de sola Tribù Juda dicatur exponendum, quis amabo ve'ut legitimos Reges habebit, et Duces eorum Assamoneos, qui non erant de Tribù Juda? habebit immo quisquis pro tyrannis, quippe sceptrum usurpassent, seu dominium, quod solæ Tribui Judae erat assertum. Quae quidem momenta, satis, ut arbitror, ostendunt Jacobi vaticinium de tota gente Judaica, non de sola Tribù Juda fore exponendum. Hoc enim semel admisso, intelliget quisquis, Jacobi oraculum, in ortu Christi fuisse completum, modo recogitet; Judaeos a Davide usque ad captivitatem habuisse Reges ex Tribù Juda, atque his successive Assamoneos; qui erant ex gente Judaeorum, licet prognati ex Tribù Levi, donec Herodes, devicto Anthigono Assamoneorum principe, Regnum Judeae a Romanis obtinuit.

§. 360. Placet multis, et illud addere, quod in schismate, et partione Regiae dignitatis, quae facta

fuit inter Israelitas dum Decem Tribus durissimum Roboami jungum excutientes, elegerunt sibi Jeroboam in Regem, qui novum instituit Regnum Israel, extiterunt sub Roboami imperio una cum integra Tribù Juda, universæ etiam Tribus Beniamin, et Levi, ut legere est 3. Regum cap: 12., atque ab eo tempore Regnum illius vocari coepit, atque deinceps semper appellatum Regnum Juda.

§. 361. *Contra*. Esto Maccabæorum, seu Assamoneorum Regnum, ab ea, quæ dicta sunt, Regnum Iudæ possit appellari, certum est tamen, Macchabæos non fuisse de posteris Iudae, bene vos de posteris Levi; atqui Iacobi Vaticinium respexit Iudæ posteros: ergo cum regnum in posteris Iuda cessavit Macchabaeorum tempore, tunc Messiam advenisse dicendum est; Prob: min. Verba ista, quae praecedunt oraculum, videlicet. *Juda, te laudabunt fratres tui*, et ea, quae sequuntur, non ad alium, quam ad Iudam ipsum, ejusque singularem Tribum referri possunt. Propterea legimus in Scriptura, Sactum Patriarcham morti proximum, convocatis filiis suis, singulis speciatim, et distincte benedixisse, atque ea praedixisse, quae ipsis, eorumque posteritati obventura erant: nihil autem peculiare prædixisset Iacob filio suo Iudae, quoties Levitica Tribus eodem quo Iudaica dignitatis honore, ac titulo esset illustranda: ergo etc.

§. 362. R. Vindicatam in superiori responsione sententiam non lædit scrupulus adversus eamdem excitatus. Varias quippe partes in Iudae benedictione secernamus oportet, alias, quae illi, ut peculiari Tribù propriae sunt; ut istæ: *Juda te laudabunt fratres tui* .... *adorabunt te filii Patris tui* etc:, alias, quæ illi propriae non sunt, sed ei tamen, ut totam Judaicam gentem repræsentanti sint accomodatæ, hujusmodi est ista, qua Sceptri perennitatem populo usque ad Messiae adventum repromisit. Habuit ergo Juda

benedictionem propriam, habuit et alteram toti Judaicæ genti communem. Cur autem destinata Judaicae gentis benedictio, potius Judae Tribui, quam alteri cuipiam sit, non una sed multiplex ratio in promtu est. 1. quia diutius in ea Tribù, ac florentius, quam in reliquas, servandum erat Sceptrum, et Principatus. 2. quia praecipua Regni Judaici pars, ac ipsa Regni sedes, Jerosolima sorte in Tribù Juda futura erat. Licet enim ad utramque Tribum, et Beniamin, et Juda initio spectare visa est Jerosolima, solius tamen Judae Tribus secutis inde temporibus addicta fuit. 3. quod Tribus Juda suis in castris ponendis, seu in ordine afferentium, seu in divisione terrae Canaam cæteris Tribubus praestantia quadam et excellentia singulari præire debebat. Denique, quia Christus verus Messias ex eadem Tribù erat nasciturus. Atque hæc de Jacobi vaticinio sufficiant, ne res in immensum excrescat.

PROPOSITIO III.

Danielis prophetia de adventu Messiæ jam adimpleta est.

§. 363. **Prob.** Daniel propheta cum Dominum enixe deprecaretur pro populi sui liberatione, Archangeli Gabrielis ministerio cognoscere meruit tempus adventus Messiae cum omnibus fere circumstantiis ejus passionis et mortis. Hæc namque dixit illi Archangelus (Cap. IX. v. 24.): *Tu ergo animadvertere sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu ser-*

monis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexagintaduae erunt etc. Atqui hoc tempus jam effluxit; Ergo Danielis etc. Prob. min. Juxta laudatam prophetiam, Messias praedicitur venturus post septuaginta hebdomades; hae autem vel annorum vel dierum hebdomades esse possunt, non vero jubilaeorum, uti stulte contra sacrarum Scripturarum consuetum, perpetuoque usurpatum sensum nonnulli refractarii somniarunt; quare si intelligantur de hebdomadis dierum, constituunt 490. dies; si de hebdomadis annorum conficiunt 490. annos; Atqui a multis saeculis utrumque hoc temporis spatium elapsum est; Igitur etc. (1).

PROPOSITIO IV.

In Jesu Christo Mariæ filio adimpleta fuerunt omnia Prophetarum oracula, quæ de ortu, vita, et morte Messiæ in Veteri Testamento, extant; proinde ipse est verus Messias.

§. 364. Probatur. Verus Messias a Jacob Patriarcha prædicitur nasciturus eo tempore, quo Sceptrum, vel judiciaria potestas a Tribu Juda ad alienigenam transisset; ait namque (Genesis Cap. XLIX. v. 9.): *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, nempe Messias, qui in Sacris litteris, veteris præsertim Testamenti dicitur per antonomasiam *missus*; Signanter autem nasciturus de Matre Virgine, ut vaticinatur

(1) Vid Frassen Tomo VII. de Incarnat. Tract. I. Disp. I. art. I. Sect. III. q. V. Conc. 2. Berti Lib. Cap. IV. Tournely Tomo IV. q. III. art. I. Arg. 2. Juenin Tomo IV. Dissert. II. Cap. III.

Isaias (Cap. VII. v. 14.): *Ecce virgo compiet, et pariet Filium*; ex semine Abrahae juxta promissa olim a Deo illi facta (Genesis Cap. XXII. v. 18.): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; et maxime de stirpe Regis David, ut illi promiserat Dominus (Psal. 131. v. 11.): *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;* et nasciturus quidem in Bethelhem Juda juxta illud Michaeae (Cap. V. v. 11.): *Bethelhem Ephrata ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israel;* non in magnifico palatio, et regali magnificentia ornato, sed in praesepe in medio duorum animalium, ut spiritu vidit Abacuch (In Orat.), et dixit, juxta Symmachum, et LXX. *In medio duorum animalium cognoscere;* vel ut ait Isaias (Cap. I. v. 5.): *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui.* Deinde natus, adorandus praedicitur a Magis; ita David (Psal. 72. v. 10. 11.): *Reges Tharsis et Insulæ munera offerent, Reges Arabum, et Saba dona adducent; et adorabunt eum omnes Reges terræ.* Item venturus ad Templum Sanctum suum, ut vaticinatus fuit Malachias (Cap. III. v. 1.). *Statim veniet ad Templum Sanctum suum Dominator quem vos quæritis*; atque insuper ex Ægypto revocandus, uti apud Oseam (Cap. XI. v. 1.): *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Insuper praedicitur, cum in terris cum hominibus conversaturum; ita Baruch (Cap. III. v. 38.): *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est;* nec non praedicaturum novam Legem; atque facturum miracula, et prodigia; ita Isaias (Cap. XI. v.): *Spiritus Domini super me . . . . prædicare captivis indulgentiam. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt* (Ibid. Cap. LIII. v.). *Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Tandem praedicitur ejus ingressus in Jerusalem per os Zachariae his verbis (Cap. IX. v. 9.): *Ecce Rex tuus veniet tibi justus; et salvator; ipse*

pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ: ejus venditio facienda a Juda pro triginta denariis, per eumdem Prophetam dicentem (Cap. XI. v. 12.): *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos*: ejus flagellatio, per Psalmistam (Psal. 72. v. 16.): *Et fui flagellatus tota die*; Ejus crucifixio inter duos latrones iniquos et scelestos, per eumdem Psalmistam (Psal. 21. v. 18.): *foderunt manus meas; et pedes meos*; et per Isaiam (Cap. LIII. v. 12.): *Cum sceleratis deputatus est*. Vestimentorum ejus divisio, atque illius potatio felle, et aceto: per supradictum Davidem dicentem (Psal. 68. v. 22.): *Dederunt in escam meam fel; et in siti mea potaverunt me aceto*; sepulchri ejus gloria, per Isaiam (Cap. XI. v. 10): *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*. Ejus gloriosa resurrectio, et in Caelum ascensio, ut alia taceamus, per citatum Davidem (Psal. 3. v. 6.): *Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi* (Psal. 67. v. 19.). *Ascendisti in altum* (1). Jam vero hæc omnia adamussim impleta sunt in Jesu Christo Ma-

(1) Non solum Hebraeorum Vates, sed et Virgines quaedam, vulgo Sibyllae inter Ethnicos, spiritu prophetico afflatae, multa de ortu, gestis, passione et morte Incarnati Verbi praedixere, ut sentiunt nonnulli inter Patres, et Eruditi multi. Ex Laelio Cleopasso Sibylla Persica haec cecinit de Christo nascituro.

« AEternum Verbum fiet palpabile; eritque.
» Verus homo ex utero Virginis, atque Deus.
De ejus vero ingressu in Jerusalem:
» Hic Rex est Judaea tuus, quem pullus aselli
» Sustinet: hoc laudes adveniente cane.
Ex Sixto Senensi, haec de Christi miraculis vaticinata fuit Sybilla Lybissa, vel Libyca.
» Ille quidem morbis pressos sanabit, et omnes
» Laesos quotquot ei fident, coecique videbunt:
» Incedent claudi: surdis audire licebit;
» Insolitas mutis dabitur formare loquelas;

riae filio; Nam ejus adventus in Mundum incidit in ea tempora, in quibus sceptrum de tribu Juda ablatum jam erat, cum regnaret Herodes Ascalonita, qui erat alienigena (1); ac ipsimet Judaei fateri coge-

---

» Expellet furias: oppressi morte resurgent.
De Passione autem ejus, sequentia:
» Ad virosa genas praebebit sputa pudentes:
» Verberibusque sacrum tradet proscindere tergum.
» Perque feret tacitus colaphos, ne forte sciatur
» Quis sit, cujus sit, mortalibus unde locutum
» Venerit: horrentemque feret de vepre coronam.

Neque his absimilia cecinisse fertur Sibylla Delphica ex supra laudato Laelio Cleopasso. De Christi namque ortu, et miraculis haec habet;

» AEternum aeterni natum Patris alma puella
» Virgineis olim nutriet uberibus.
» Pollebit signis: condet miracula, morbos
» Sanabit, ventis jura marique dabit.
» Daemones ejiciet: manes revocabit ab umbris,
» Morte sua mortis destruet imperium.

De ejus autem Passione haec alia:

» Impinget illi colaphos, et sputa scelestis
» Israel labiis, neque non et fellis amari
» Apponet escam, potumque immitis aceti.

Tandem Sibylla Cumana, ut de aliis sileamus, haec de Christo vaticinasse perhibetur. De ejus conceptu et nativitate;

» Virgo sancta olim, cunctis et clarior astris
» Mirando infantem sanguine concipiet.
» Suffecto e Caelis hunc nutriet, alma liquore
» Uberibus propriis, lacteque Virgineo.

De ejus autem morte, atque Resurrectione haec alia.

» Mortis satum finiet trium dierum somno suscepto
» Tunc a mortuis regressus in lucem veniet
» Primus resurrectionis initium ostendens.

Haec de Sibyllinis oraculis in gratiam adolescentium retulimus. Quae autem fides illis adhibenda sit, videant Eruditi.

(1) Vid. L' Herminier Tomo III. pag. V. Tournely Tomo IV. 9 pag. 55.

bantur, se proprium Regem non habere, neque jus sanguinis, et necis; nullam nempe judiciariam potestatem: Unde et Pilato dixerunt (Joannis Cap. XVIII. v. 31.): *Nobis non licet interficere quemquam.* Et (Ibid. Cap. XIX. v. 15.): *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Ejus ortus fuit ex Maria Virgine, de semine Abrahae, de domo et familia David (1). Editus fuit in lucem in Bethelehem Judae, et reclinatus in praesepio in medio duorum animalium, quorum unum erat bos, alterum asinus. Post tredecim dies ab ejus nativitate, Magi ab Oriente, duce nova stella (Matthæi Cap. II.), ad eum adorandum se conferunt, offerentes ei aurum, thus, et myrrham. In Templum praesentatur a Matre, et Deo Patri offertur (Lucæ Cap. II. v. 22.). In Ægyptum a parentibus, Angeli monitu, asportatus fuit, et ab Ægypto iterum in patriam reductus (Matthæi Cap. II. v. 13. et seq.). Cum hominibus per annos triginta tres conversatus fuit, et per triennium praedicationi incubuit, pertransiens universam Judæam, ubique benefaciendo; coecos siquidem illuminavit (Videantur Evangelistæ omnes.); surdos fecit audire, mutos loqui, claudos incedere, mortuos resurgere, Daemones a corporibus obsessis abire, etc. Passioni proximus, Jerusalem ingressus est sedens super asinam (Matth. Cap. XXI.). A Juda triginta argenteis venditus fuit (Ibid. Cap. XXVI. v. 15.). Captus a militibus, post varia opprobria, ludibria, et injurias, flagellis dire verberatus fuit, atque spinis coronatus (Ibid. Cap. XXVII. v. 15.). Morti damnatur, et ad Calvariæ montem ductus, ibi clavis Cruci affixus fuit (Ibid. v. 14. 38. 48.); atque medius inter latrones pependit; sitiens aceto potatus fuit. Interim milites dividunt inter se ejus vestimenta (Marci Cap. XV. v. 21.). Mortuus, in se-

(1) Matthaei Cap. I. et II. Lucae Cap. II.

pulchro novo positus fuit: ex quo tertia die gloriosus, et immortalis resurrexit (1); ac tandem per dies quadraginta conversatus cum discipulis suis, e monte Oliveti ascendit in Cælum (2). Ergo Jesus Christus Mariae filius est verus Messias.

Satisfit Judaeorum objectionibus.

§. 365. *Objic*: Messias nondum advenit si quae a Prophetis de eo praedicta fuerunt, non sunt adhuc adimpleta; Atqui res ita se habet: Ergo falsa propositio.

§. 366. R. dist. maj. Messias etc. adimplenda in primo ejus adventu, non sunt adhuc adimpleta, nego maj.; in secundo, concedo maj., et contradist. min., n. consm. Multa quidem a Prophetis de Christo vaticinata reperiuntur, quae quidem adimpleta adhuc non sunt, nec certum est quando impleantur; adimplebuntur tamen successu temporis, et in fine Mundi, in secundo nempe Christi adventu in potestate magna et majestate. Quae autem primum ejus adventum respiciunt, jam impleta, et consummata sunt omnia (§. 364.)

§. 367. *Contra.* Atqui etiam illa, quae tempore primi adventus Messiae adimplenda erant, adimpleta non sunt; Ergo n. r. Prob. sub. Isaias propheta, de tempore primi adventus Messiae loquens, ita vaticinatur (Cap. II.): ***Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles;*** Atqui hoc adimpletum non est; Ergo etc.

§. 368. R. dist. min. Atqui hoc adimpletum non est litteraliter, conc.; mystice, nego min., et consm.

---

(1) Matthaei ibid. v. 60. et. Cap. seq.
(2) Marci Cap. XVI. et seq.

Quae de monte Sion in adventu Messiae vaticinatus fuit Isaias, non eo sensu accipienda sunt, quasi mons Sion physice debuisset e loco suo removeri, et in vertice aliorum montium praeparari; hoc namque suspicari ridiculum foret, ut ipsimet Judaei Doctores fatentur, sed vel ut exponit magnus inter Rabbinos Doctores, Rabbi Salomon, *quod tot signa et majora etiam, quam in caeteris praedictis montibus eventura essent in monte Sion cum advenisset Messias*; vel quod Ecclesia novi faederis (per illum montem, et Domum Domini figurata) illustrior, et magis gloriosa, atque exaltata foret ob adventum Messiae, quam fuerat Synagoga Judaeorum: Quod utrumque verificatum est.

§. 369. *Contra.* Atqui nec etiam figurate, et mystice laudatum vaticinium Isaiae est impletum; Ergo a capite argumentum. Prob. subs. Post laudata verba sequitur Propheta: *et fluent ad eum omnes gentes.* Si ergo per montem intellexisset Propheta Christi Ecclesiam, ut adimpleta dici posset prophetia, jam debuissent omnes gentes ad Ecclesiam fluere; Atqui oppositum videmus, cum innumeræ sint gentes, quae ad Ecclesiam non pertinent, imo ipsam aversantur; Ergo etc.

§. 370. R. dist. maj. et ibi per omnes gentes intelligit Propheta genera singulorum, conc. maj.; intelligit singulos generum, n. maj., et dist. min. Atqui oppositum videmus, nempe non singulos generum ad Ecclesiam fluxisse, conc., non genera singulorum, n. min., et consm. Cum Ecclesia in toto terrarum Orbe diffusa sit, nulla gens invenire est, quae non habeat aliquos veros fideles; quod satis est ut verificetur ad Ecclesiam fluxisse omnes gentes (1).

---

(1) Vid. alia apud citatos Auctores. Adversus Judaeos multi scripserunt. Legatur praesertim peregregium

§. 371. *Objic.* 2. Messias praedicitur venturus in magnificentia, et gloria; Hinc (Psal: 49.) ait David: *Deus noster manifeste veniet, et non silebit;* Atqui ita non venit Jesus Christus; Ergo etc.

§. 372. R. dist: maj: in secundo adventu in fine Mundi, conc:, in primo, nego; et dist: min: Atqui etc: in primo suo adventu, conc:, non ita veniet in secundo, n. min: et consm. Duplex Christi adventus praedictus a Prophetis legitur, primus in plenitudine temporum ad homines redimendos, atque salvandos, et hoc in tanta humilitate, ut videretur *vermis et non homo;* (Psal.) *opprobrium hominum, et abjectio plebis; Exinanivit* enim *se Christus*, scribit Apostolus, *formam servi accipiens*; alter vero in Mundi fine ad omnes judicandos ut reddat unicuique, secundum opera tanquam judex constitutus a Padre vivorum, et mortuorum, et hic in potestate magna, et maestate.

§. 373. *Contra.* Atqui etiam primus Messiæ adventus erit in magnificentia, et gloria; Ergo n. r. Prob: subs. Messias praedicitur venturus ut Rex, ita de ejus primo adventu vaticinatus est Zacharias (cap: IX.): *Rex veniet justus, et salvator*; Sed qui venturus est ut Rex, venturus est cum magnificentia, et gloria; Ergo etc.

§ 374. R. dist: maj: Rex pacificus in humilitate conc:, in magnificentia, n. et dist. min:. Sed ut Rex quilibet terrenus, qui venturus ut dominetur suis subditis; conc:, qui venturus est ut regnet super corda; n. min: cum consa. Reges Terrae quoties accedunt ad Regni possessionem, se videndos

---

Opus Hadriani Fini Ferrariensis; cujus titulus est In Judaeos Flagellum. Si probabitur, iterum excudi curabimus Opusculum cujusdam Rabby Samuelis Judaei, quo Judaeorum perfidiam retundit.

ostendunt in magnificentia et gloria; undique militibus, et Ducibus electis stipatos, et omnibus ostentantes magnitudinem, ut sic sibi captent obsequium populorum. Jesus autem Christus, qui in suo primo adventu, ad hoc venit ut amaretur potius quam timeretur, et ut sua humilitate, atque obbedientia Divinae justitiae satisfaceret pro totius Mundi peccatis, humilis venire dignatus est. Et quod revera ita esse deberet, idem laudatus Propheta, postquam dixerat: *Rex veniet justus et salvator*, statim sequitur: *ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium Asinae.*

§. 375. *Contra.* Atqui omnino in magnificentia et gloria in primo adventu Messias venturus est; Ergo n. r. Prob: subsm. Messias dicitur, quod quando veniet (Isaiae Cap. IX.): *super solium David, et super Regnum ejus sedebit*; Ergo etc.

§ 376. R. dist.: antec: super solium David spirituale, hoc est Ecclesiam, quam ipsemet Christus sibi comparavit sanguine suo, et cujus ipse est princeps caput, conc: Regnum David temporale, et terrenum, n. antec.:, et consm. Quaecumque in veteris Testamento a Patribus, et Prophetis de magnificentia, et gloria Regni Messiae dicta sunt, non de illius Regno temporali, quod labiturus in Mundo non erat, sed de spirituali, hoc est Ecclesia intelligenda sunt. Ecclesia enim toto terrarum Orbe diffusa est, et dominantur a mare usque ad mare, et a flumine usque et terminos Orbis terrarum; et constat ex omnibus Gentibus, Tribubus, atque linguis.

Quaeres. *In quo consistat unio hypostatica; et utrum Verbum in Christo hypostatice humanam naturam assumpserit?*

§. 377. R. 1. Unio hypostatica vocatur unio illa per quam Verbum Divinum humanae Naturae est conjunctum in unitate personae. Unio isthaec proprie loquendo non consistit, nisi in communicatione esse-

Divini humanitati; non ita tamen ut Natura Humana constituat unam personam humanam in Jesu Christo, bene vero unam personam Divinam in humana, divinaque natura simul subsistentem. Nam Natura humana in Jesu Christo non habet propriam subsistentiam, sed subsistit hypostasi, vel subsistentia Verbi Divini; quod efficit ut, licet in Jesu Christo sint duae Naturae, non est autem nisi una Persona, et Jesu Christi Persona est una Persona Divina (1).

§. 378. R. 2. Verbum in Christo hypostatice humanam naturam assumpsit. Nam ait S. Joannes Evangelista (Cap. I. v. 14.): *Verbum caro factum est*, non quidem *conversione Divinitatis in carnem* (In Symb. S. Athan.), *sed assumptione humanitatis in Deum;* Et Apostolus ad Galatas (Cap. IV. v. 4.): *Misit Deus filium suum factum ex muliere*,

---

(1) Vid. Bellarmin. Cap. VIII. de Incarn. Lib III. Quaenam vero sit hujus unionis hypostaticae natura, valde difficile est, ne dicam impossibile, recte nosse, atque determinare. Volunt nonnulli cum Gregorio Ariminensi (in III. Dist. 28. q. 2.), unionem hypostaticam non esse quid distinctum a Verbo, et Humanitate per quod Verbum et humanitas formaliter uniantur; Ita Tournely de Incarnatione q. VII. Art. II. Putant alii cum Gabriele (in III. Dist. 30. q. 4.), eam esse qualitatem quamdam supernaturalem absolutam, quam gratiam unionis appellant, in sensu tamen diverso ab illo Nestorii. Sentiunt alii cum Suarez (III. P. Disp. 8. Sect. 2.), unionem hypostaticam esse modum aliquem substantialem, non realiter, sed ex natura rei dumtaxat ab humanitate distinctum. Scotistae tandem cum Praeceptore subtili (In III. Dist. I. q. I. n. 3.) [illegible]tur, eam unionem esse relationem extrinsece adve[illegible]em, qua humana Natura dicitur formaliter unita [illegible]o. Ita Frassen de Incarnat. Disp. I. art. 2. Sect. I. q. I. Dupasquier Tomo VI. Disp. II. q. I. Concl. 2. aliiq.; cum quibus et nos.

factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret. Hinc inter Anathematismos S. Cyrilli a Synodo Ephesina probatos (Anno 431.), legitur sequens: *Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum carni secundum Hypostasim unitum, unumque esse Christum, eumdem nimirum Deum simul, et hominem, anathema sit* (1).

Quaeres. *An unio Verbi Divini cum Humana Natura sit substantialis?*

§. 379. R. Affirmative adversus Nestorium. Nam si unio hujusmodi non esset substantialis, Christus verus Deus dici non posset; Atqui Christus verus Deus dicitur, et est; Quare et dixit S. Petrus (Matth. Cap. XVI. n. 16.): *Tu es Christus Filius Dei vivi;* et S. Thomas (Joannis Cap. XX. v. 28.): *Dominus meus, et Deus meus;* Ergo etc. (2).

CAPUT III.

De Incarnationis convenientia, atque necessitate.

§. 380. *Def.* 1. *Conveniens hic dicitur, quod decens est, atque consentaneum.*

§. 381. *Def.* 2. *Necessarium hic intelligimus, illud, sine quo aliud fieri nequit.*

§. 382. *Schol.* Necessarium porro hic dupliciter sumi potest, *absolute* nimium, et *hypothetice*. Absolute necessarium dicitur illud, quod aliter esse, implicat contradictionem; hoc pacto necessarium est

---

(1) Vid. Frassen Tract. I. de Incarnatione Disp. I. Art. II. Sect. I. q. I. Bellarm. Lib. III. de Incarn. Cap. III. et seq.

(2) Vid. Juenin Parte IV. Dissert V. de Essentia Incarnat. Bellarm. Lib. I. de Christo Cap. IV. et seq.

Deum existere. Necessarium hypothetice est illud quod, in data hypothesi est tale. Asque hoc insuper, vel est necessarium *simpliciter*, uti cibus ad vitam conservandam; vel *secundum quid*, ut dicitur, hoc est ad aliquid facilius obtinendum, uti cibus salubrior ad eamdem vitam conservandam.

§. 383. *Animad.* Incarnationem esse convenientem Deo Redemptori, homini redimendo, totique universo, Theologis Catholicis explarata res est, at absolute necessariam nemo Theologorum dicere audet. Num vero talis sit, saltem hypothetice

Dissidium est inter Auctores.

§. 384. Sunt qui dicunt, Incarnationem necessariam fuisse in hypothesi creationis Mundi. S. Anselmus Incarnationem necessariam fuisse asserit ex hypothesi lapsus hominis (Libro. I. Cur Deus homo.); Richardus vero a S. Victore (Lib. De Incarnatione.), et Raymundus Lullus (1), necessariam eam fuisse dixerunt in hypothesi quod Deus hominem lapsum ad priorem innocentiam, et ad beatificum statum promovere voluisset, ad quem ipsum formaverat. Quid sentiendum nobis arrideat, ex sequentibus patebit.

(1) In brevi introduct. ad omnes scientias, Demonstrat. 8.

PROPOSITIO I.

Verbi Divini Incarnatio, Deo, homini redimendo, totique universo conveniens fuit.

§. 385. *Prob.* Quid namque esse potest Deo convenientius opere Incarnationis, quo ejus attributa elucescunt, atque commendantur? Quid homini, totique universo convenientius Incarnatione Verbi, ex qua tot bona, atque beneficia in genus humanum derivarunt? In Incarnatione Dei omnipotentia, praesertim, sapientia, bonitas, et misericordia adeo resplenduerunt, ut dicere non dubitarit S. Augustinus (Tractatu XVIII. in Evang.): « Cum Deus sit omnipotens, plus dare » non potuit: cum sit sapientissimus plus dare ne» scivit: cum sit ditissimus, plus dare non habuit. » Hinc et Virgo ipsa Deipara jam dixerat (Lucae » Cap. X. v. 49.): *fecit mihi magna qui potens est . . . . Et misericordia ejus a progenie in progenies.* Apostolus quoque Paulus ad Titum scribens (Cap. III. v. 4.), ait: *Apparuit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri etc.* Quod si aliqua Deo indigna in Verbi Incarnatione alicui nostri temporis incredulo videntur, idem responsum dabimus, quod olim Marcioni dedit Tertullianus (Lib. II. Cap. 27.): « Haec indigna Deo tibi videntur, nobis autem ne» cessaria; et ita jam Deo digna, quia nihil tam » Deo dignum, quam salus hominis «. Per Incarnationem deinde nos homines (Rom. Cap. VIII. v. 17.) *hæredes quidem Dei facti sumus, cohæredes autem Christi*: Caelesti doctrina imbuti sumus; *unigenitus* namque (Roman. Cap. VIII. v. 17.), *qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*; *atque de morte ad vitam translati sumus* (1); *justificati gra-*

(1) Epist. I. Ioann. Cap. III. 2. 14.

tis per gratiam ipsius (Rom. III. v. 24.) ; quid ergo Verbi Divini Incarnatione convenientius ?

PROPOSITIO II.

Incarnatio non fuit absolute necessaria.

§. 386. *Prob.* Illud non fuit absolute necessarium, quod singularis Deis benevolentiae, et erga homines misericordiæ opus extitit: Atqui Incarnationem fuisse divinum singularis Dei erga homines misericordiæ opus, Scripturae praedicant, ut mox ostendimus: ergo etc. Deinde illud non fuit absolute necessarium, quod Deus potuit non facere; jam vero poterat Deus non Incarnari; quippe fuit omnino liber in opere Redemptionis humanae, quod erat opus ad extra: cum sit autem Deus ex se se infinitus, et undequaque beatus, rebus non indiget extra se positis; adeoque nec Incarnatio fuit absolute etc.

PROPOSITIO III.

Incarnatio necessaria non fuit ex hypothesi creationis Mundi.

§. 387. *Prob.* primo multiplici ratione. Incarnatio nullam habet cum adspectabili hac rerum universitate necessariam connexionem; quod enim est ordinis supernaturalis, nullam habet connexionem cum rebus naturalibus; Atqui Incarnatio ordinis est superaturalis: ergo etc. 2. Sine Incarnationis Mysterio Mundus omnibus suis numeris absolutus per quatuor annorum millia stetit; et cur ergo non potuisset in aeternum sine Incarnatione subsistere? 3. tandem, quia posito semel Mundo, si quae necessitas Incarnationis fingi posset, haec esset, vel ad ipsius perfectionem, vel ad Dei honorem et gloriam. At-

qui neutrum dici potest; ergo etc. Non primum: mundus enim perfectionem ordinis supernaturalis non exigit, et nonne ipse suarum partium infinita varietate, et admirabili consensione in suo genere perfectissimus est citra Incarnationem? non secundum; non enim ex Mundo condito gloriam, et honorem emendicare sibi proposuit Deus; neque haec Dei gloria, et honor ex Mysterio Incarnationis cum Mundo condito ullam habet necessariam connexionem, quasi necessario ex ipso inferatur. Ergo etc.

Sed inquiunt: Deum semper agere, quod est optimum; ita enim loquuntur Ecclesiae PP.: quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tamquam bonorum omnium conditorem, inquit Augustinus, ex quo concludunt, necessariam fuisse Incarnationem, ut major Mundo perfectio accederet, majusque ornamentum.

§. 388. Id autem licet verum sit de iis, quae Deus intra se operatur, falsum est tamen de iis, quae libere Deus operatur extra seipsum, sicut enim quia liber est poterat nihil extra se moliri; ita potuit, quos voluit perfectionis majoris, vel minoris gradus impertiri ad finem, quem intendit semper idoneum; illud quippe est optimum, quod Dei consilio respondet, et fini quem sibi praefixit. Quare dum dicunt PP., id semper operari Deum, quod est optimum, exponendi sunt, quia vel sine ullo defectu, et imperfectione, vel quia quae operatur, semper optima sint, et idonea maxime sunt ad finem, quem intendit, vel quia quæ facit, magis conveniunt, et accommodata sunt naturali rerum, quas condidit, conditioni, aut magis consona pulchritudini, et ornamento Universi. Licet enim Deus potuisset producere aliam rerum universitatem meliorem, et constantem ex perfectioribus Entibus; in ea tamen quam fecit, non potuit excogitari major venustas, et convenientia: siquidem

ejus voluntas est regula perfectionum, quas creaturis communicat; adeoque etc.

§. 389. *Objic.* 1. Illud ex hypothesi creationis Mundi fuit necessarium, sine quo maxima perfectio Mundo defuisset; Atqui sine Incarnatione maxima defuisset perfectio rerum universitati, cum Incarnatio sit summum Mundi decus etc. Ergo etc.

§. 390. R. dist mai. Illud etc.: sine quo etc. perfectio necessaria, concedo, secus nego, et contradist. min, nego consam. Itaque circa omnem dubitationem est, maximum esse inconveniens rerum universitati, necessariam defuisse perfectionem: at Verbi Divini Incarnatio, esto sit summum Mundi decus, non ei tamen est necessaria, cum alterius sit ordinis, et supra naturam omnem evecta sit. Quocirca si argumentum concluderet, inde consquens foret, Patrem, et Spiritum S. oportuisse etiam seorsim incarnari; utriusquem enim Incarnatio haud dubie non mediocris perfectionis mundo extitisset.

§. 391. *Contra.* Atqui supposita Mundi creatione, Verbi Divini Incarnatio, maxima, et necessaria perfectio extitisset Mundo; ergo etc. Prob. Haec rerum universitas a Deo prodire non potuit, quin necessariam haberet perfectionem; atqui hanc non habuisset, sublata Incarnatione; ergo etc. Prob. min. Deus amat necessario perfectiones suas, quae infinitae sunt; sed qui amat necessario perfectiones suas, nullum potest opus efficere, quod eas non exprimat: Ergo etc.

§. 392. R. dist. maj. Deus etc. Ad intra concedo, ad extra dist: eo sensu, quo non possit agere, quin opus eas aliquatenus exprimat, conc.:, quin perfectissime exprimat, nego maj, et eodem modo dist: min; nego consam Utique nulli dubium, Deum amare Immensitatem suam, AEteritatemque amare, nec tamen idcirco Deus immensum Mundum, et æternum efficere debuit: amat infinitam suam intelligendi vim, nec tamen infinitam ideo intelligendi vim crea-

tis a se mentibus concessit: et re quidem vera, certum est, mentes a Deo conditas longe majori potuisse ab eo donari intelligendi vi, quam habent; centies, milliesque major illa esse potest, quam sit, an idcircò centies, milliesque eam augere debuit Deus? Cur ergo non auxit, cum in hunc modum longe perfectius hanc suam facultatem expressisset? Itaque non eo consilio Mundum fecit Deus ut infinitas suas perfectiones infinito modo exprimeret, sed aliquatenus, et quantum voluit: adeoque supposita Mundi creatione, Incarnatio Divini Verbi, perfectio necessaria ipsi Mundo non extitisset.

§. 393. *Contra.* Si Deus Mundum condere decrevit, undequaque perfectissimum creare debuit, adeout non aliquatenus tantum, sed perfectissime Divinas perfectiones exprimere potuisset; ergo etc. Prob. aus. Postulat Divina sapientia, ut id semper fiat, quod melius est: at Mundus in omni genere perfectissimus est aliquod melius, quam Mundus perfectus Ergo etc.

§. 394. R. dist. min cum Ugone Victorino, mundus etc., quam etc. sibi, conc: min, Deo, nego min, et consm. Utique melius est creaturis ipsis esse quam non esse, melius iisdem perfectissimas esse, quam minus perfectas, sed Deo perinde est, sive sint sive non sint; sive perfectissimae sint, sive minus perfectae: a rebus enim creatis non pendet Deus, et sibi ipsi satis est solus; nec enim magis est felix ex quo mundus est conditus, quam ante; sic vellè Incarnationem ad perfectionem universi pro nutu suo facit, et nulla afferri potest ratio, praeter voluntatem facientis, uti Augustinus monet: adeoque etc.

§. 395. *Objicies.* 2. Citra Incarnationem nulla potest ad Deum infinita gloria ex rerum universitate prodire; ergo data hypothesi creationis Mundi necessaria fuisset Divini Verbi Incarnatio. Prob: consa. Deus non potest agere, nisi propter se, et gloriam

suam, eamque se dignam, hoc est infinitam: sic enim Prov: 16. dicitur: *Omnia propter semetipsum operatus est Deus*; ergo etc.

§. 396. R. explicando aucthoritatem: omnia etc, idest propter bonitatem, aliasque suas dotes, admitto; propter gloriam quamdam externam ex creaturis, nego ans, et consam. Dupliciter Dei gloria distingui potest, interna una, externa alia. Interna posita est in ipsa naturae Divinæ excellentia. Externa sita est in communicari se creaturis; omne igitur propter semetipsum, tamquam propter eorum ultimum finem operatus est Dominus, propterea voluit omnia, quæ in Mundo erant (ut par erat) gloriæ suae inservire. Gloria vero externa ex creatione Mundi, non sibi proposuit Deus ut voluntatis suæ finem, aut operis sui pretium; hoc quippe Deo indignum est, quod et ipsi veteres Philii agnoverunt sola natura duce; multo autem disertius Patres antiqui Scripturarum luce præeunte, docuerunt. Indicant non solum omnia a Deo esse pro arbitrio facta, sed etiam Dei voluntatem esse regulam et mensuram magnitudinis operum ejus: sic Psalmo 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit* etc. Patres monent nullam afferri posse causam cur Deus Mundum creaverit, praeter ejus voluntatem, non respiciendo ad gloriam externam, tamquam ad finem, et inter cæteros, unum allegabimus Augustinum Is enim Lib. 1. de Gen: contra Manichaeos cap. 2., ait. « Si isti dixe-
» rint, quid placuit Deo facere Caelum, et Terram,
» respondendum est eis . . . . causas voluntatis Dei
» scire quæunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt
» ipsa sit causa »; sic alibi ipse, et passim alii: adeoque etc.

§. 397. *Contra*. Negari sane non potest, Deum hujusmodi gloriam externam, et cultum voluisse sibi deferri a mentibus, quas condidit; ergo etiam gloriam externam sibi proposuit Deus in creatione Mundi Ergo etc.

§. 398. R. dist: ans. Voluit ab iis sibi deferri honorem, cultumque, ut ipsarummet mentium creatarum officium, et bonum, concedo ans, ut infinitum operis sui pretium, nego ans, et consam. Quod nimirum colamus Deum nostra interest, non ipsius: perinde ipsi est, si colatur, sive non. Si colitur nihil accedit bonitati, si non colitur, nihil recedit. Ut sit sine his aeque perfectus ac Beatus, quod PP. et Theologi jamdudum docuerunt, ex quibus unum seligo Augm: qui lib: 13. Confess: cap: 1. *Fecisti me*, inquit, non ut tibi sic serviam, quasi minor sit potestas tua carens obsequio meo, sed ut de te mihi bene sit etc. et Epist: 102 nobis inquit prodest colere Deum, non ipsi Deo; et Epist: 138 alias 5. ad Marcellinum n. 6. nihil, ait, Deus jubet, quod sibi prosit; sed illi cui jubet; adeoque etc.

PROPOSITIO IV.

Incarnatio necessaria non fuit ex hypothesi hominis lapsi in peccatum.

§. 399. *Prob.* Nam Incarnatio est Dei opus ad extra; Atqui in operibus ad extra Deus est omnino liber, et nulla obstringitur necessitate; Ergo etc. Deinde poterat Deus, *sicuti Angelis peccantibus non pepercit* (Epist. II. Petri Cap. II. v. 4.), ita et homines in massa perditionis relinquere; *quis* enim, ajebat ei Sapiens (Cap. XII. v. 12.), *tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu fecisti*? Ergo supposito hominis lapsu, Incarnatio necessaria non fuit. Præterea, Sacrae literae, Incarnationem opus appellant mirae Dei erga homines dilectionis (Cap. III. v. 16.): *Sic Deus dilexit Mundum*, dixit Christus, apud Joannem, *ut filium suum unigenitum daret*; et Apostolus ad Romanos (Cap. V. v. 8.): *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quo-*

niam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Atqui opus miræ misericordiae et charitatis, libere, et non necessitate aliqua fit; Ergo etc. Tandem Deus liber fuit in hominis creatione, ergo et in ejus reparatione; adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 400. *Objicies.* 1. Ecclesiae Patres docent; necessariam fuisse Incarnationem, supposito lapsu homini generis; ruit ergo expositum theorema. Prob; ans. Cæteris omissis unum seligo S. Anselmum, qui toto fere opere, cui titulus: *Cur Deus homo*, duo prætendit; Primum est, Deum non potuisse permittere ut homo, quem condiderat peccaret, nisi statim redimere ipsum statuisset; alterum est, hominem non debuisse, nec potuisse alia, quam plenae satisfactionis, et a Deo via Incarnationis redimi; ergo D. Anselmus etc.

§. 401. R. dist: cons. D. Anselmus etc. necessitate decentiae, et congruentiæ, conc: necessitate simpliciter, nego consm. Conveniens quidem fuit, Deum hominis lapsum reparare, ad quod tamen nulla necessitatis lege impulsus fuit, in hoc sensu fortassis loquutus est S. Anselmus.

§. 402. *Contra.* Atqui S. Anselmus, nedum auctoritate sua, sed et ratione, contendit necessarium reperandum hominis lapsum, non decentiae, et congruentiæ, sed et naturae; ergo etc. Prob subs. S. Doctor lib: cap: 1. aperte se declarat, indecorum fuisse Deo, proinde impossibile, ut sineret hominem lapsum in hoc miseriae statu in æternum manere, atque adeo necessitatem incubuisse Deo, ut hominum genus repararet; nimirum non latuit Deum, inquit (Cap: X) quid homo facturus erat, cum illum fecit, et tamen bonitate tua illum creando sponte, se, ut perficeret inceptum hominem, quasi obligavit; ergo etc.

§. 403. R. dist. auctoritatem. Indecorum etc., negative, admitto, positive, nego ans, et cons. Tunc aliquid positive fit indecorum, quando fit aliquid contra quod decet, et oportet, negative autem, quando dumtaxat omittitur, quod certa tantum ratione conveniens foret, et quod aliunde non tenetur facere, qui agit. Cum itaque consentanea sit Incarnatio Divinæ Bonitati, si ea non esset peracta, profecto aliquid omissum foret, quod conveniens est. Sed cum nullo jure teneretur Deus mittere filium suum ad homines liberandos, si non misisset, non sane egisset contra quod debuisset, aut oportuisset, cum hoc in casu causas agendi habuisset, ita idoneas, et sapientiae suae congruentes, quas nostrum non est perscrutari. In hoc sensu dicimus, indecorum ipsi fuisse Deo, si homines in massa perditionis reliquisset, quod sane necessitatem ponit in Deo dumtaxat congruentiae, non vero simpliciter. Vel cum Doctore nostro in 3. dist. 20. quaest. 1. et Bonaventura, dicendum est. Divi Anselmi rationes procedere, praesupposita ordinatione Divina, quae sic ordinavit hominem redimi, quae necessitas dicitur consequens liberum Dei decretum. Vel tandem S. Anselmum sic reapse opinatum fuisse, sed hac in re, quae mera theologica est, ejus opinio deserenda esset. Idem venit dicendum ad alios SS. PP. et DD., si qui sint.

§. 404. *Contra*. Atqui S Doctor eodem in Libro (cap: 16.), disertis verbis pronunciat, necessarium fuisse numerum lapsorum Angelorum restitui, atque suppleri per homines, cum indecens foret, numerum Angelorum, utpote perfectissimarum creaturarum, per imperfectum perpetuo relinquere; ergo ad homines reparandos necessario, et absolute tenetur Deus cum non alia sit natura, præter humanam, qua restauri possint.

§. 405. R. Mentem D. Anselmi esse, necesse fuisse a Deo reparari homines ex hypothesi, quod vo-

luerit, Deus numerum Angelorum, qui lapsi sunt, supplendum, ac per homines restaurandum, quae hypothesis, cum plane sit libera; libera quoque dicenda est Incarnatio, et hominis liberatio, non necessaria. Quare loquendo de necessitate absoluta, negandum est antec:, esto admittatur de necessitate congruentiae: Deinde quare non potuit Deus supplere et restaurare numerum Angelorum ex his qui ceciderant, vel ex aliis denuo creatis? ergo sufficit nobis ostendisse in opinione S. Anselmi, simpliciter, et absolute necessariam non fuisse Incarnationem, supposito hominis lapsu; sed necessariam dumtaxat in hypothesi, quod voluerit Deus vacuas Angelorum lapsorum sedes ab hominibus occupari, et impleri; idque cum omnino a libera Dei voluntate pendeat, libera quoque voluntate etc.

§. 406. *Objicies.* 2. Dedecet summam Dei sapientiam permittere, etiam voluntate consequenti, nobilissimam creaturam, universaliter fine suo fraudari; sed nisi reparatio hominis lapsi intervenisset, omnes homines ad beatitudinem æternam pertingi, fine suo fraudarentur; ergo ratione sapientiæ Divinae necessarium fuit Deo, ut hominem lapsum restitueret, ne dicatur, etiam Dei voluntatem antecedentem seriam, et efficacem non fuisse.

§. 407. R. dist: cons: ergo ratione etc., necessitate congruentiae, sit quidem, absoluta necessitate, negamus consam. Nemo quidem nostrum inficias ibit, congruum fuisse Divinae sapientiae, ut hominem Deus e suo lapsu relevaret, atque ordinaret ad finem; negamus tamen id absolute necessarium fuisse: hinc colligendum est: primo, congruum fuisse, hominem lapsum reparare; enim vero Divinam misericordiam ac suavissimam decebat benignitatem, ut quod opus formaverat, ac invidia Diaboli fuerat confractum, reformaret: *misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum* (Psalmo

102.); tum etiam, quia consentaneum maxime videtur, ut Divinae perfectiones omnes exterius splendescant, et celebrentur, et sicuti Divina justitia in Christum ipsum Sponsorem nostrum se totam tam severe exercuit, ita et misericordia se totam in nos effunderet: cum hoc tamen discrimine, quod exercitium justitiae minime sit omni ex parte liberum, sicuti exercitium misericordiae, quia nihil nobis debuit Deus, sibimetipsi vero debeat jurium suae justitiae conservationem.

PROPOSITIO II.

Etiam supposito quod Deus voluerit hominem lapsum reparare, necessaria non fuit Divini Verbi Incarnatio.

§. 408. Prob. Nam « quis negat, *ait S. Bernardus* (Epist. 190.) ad manum omnipotentis » fuisse alios, et alios modos nostrae redemptionis, « et liberationis? Multi sunt, *sequitur S. Augustinus* (Lib. de Agone Christi Cap. XX.), qui di» cunt, non poterat aliter Sapientia Dei homines li» berare, nisi susciperet hominem. Poterat, *si non* » *aliud, concludit S. Athanasius* (Serm. III. con» tra Arianos.), sine additione Christi, solummodò » loqui Deus, et sic solvere maledictionem ». Ergo etc.

§. 409. Dices Multi Sancti Patres docent Incarnationem necessariam fuisse ad Generis humani reparationem. S. Cyrillus namque ita scribit (Lib. Thesauri Cap. VII.): « Quoniam imperfectum esse » opus Dei non decuit, et non potuit aliter fieri, » necessario Deus factus est homo ». Sanctus quoque Ambrosius non absimiliter loquitur. Ait namque (In Cap. IX. Epist ad Hebrae.); « Tantum fuit » peccatum nostrum, ut salvari non potuissemus ali-

» quando, nisi unigenitus Filius Dei pro nobis mo» reretur ». *Et S. Augustinus* (Serm. XIV. de temp.): « Transgressio primi hominis, *inquit*, to» tum deceperat Mundum, ut nullum esset salutis » remedium, nisi Christus adveniret e Caelo ».

§. 410. R. Laudati Patres, et si qui sunt alii, qui necessariam dicunt Verbi Divini Incarnationem, non ita intelligendi sunt, ut velint, nullum alium modum Deo superfuisse ut hominem a potestate Dæmonis eriperet, præter Incarnationem, sed solum, quod supposito, Deum decrevisse Incarnationem, pro generis humani reparatione, eam fuisse necessariam, et fieri debuisse; Deus namque in suis Decretis immutabilis est (§. 81.); vel etiam dicendum, eos loqui de praesenti rerum statu, in quo Deus voluit hominem, non aliter liberari, quam per adcuratam, et condignam satisfactionem Divinae justitiæ pro peccatis solutam, quod, ut mox dicemus, aliter obtineri non poterat, quam per Incarnationem.

PROPOSITIO III.

Ex hypothesi adcuratae, et condignae satisfactionis, juxta praesentem rerum dispositionem, necessaria fuit Incarnatio.

§. 411. *Prob.* I. ex Scripturis. Apostolus ad Hebraeos scribens ait (Cap. VII. v. 26.): *Talis decedat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Cœlis factus. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Ex quibus sic: Ad adcuratam, et condignam satisfactionem pro nostris peccatis Deo dandam, decebat ut nobis esset Pontifex etc. Atqui nullus, praeter Verbum Incarnatum, est hujusmodi; Ergo etc.

§. 412. *Prob.* II. ex Patribus. S. Athanasius ita scribit (1). « Cum videret malitiam intolerabilem, » neque mortale genus idoneum esset, quod morti re» sisteret, neque poenam malorum suorum solvere » posset: nam excessus malitiae excedebat omne sup» plicium. . . illam ipsam in se transtulit ». S. Basilius (In Psal. 28.), explicans verba illa Prophetae: *Frater non redimit, redimet homo*, inquit: « Non homo nudus, sed homo Deus Jesus Christus; » quia nullus alius condignum afferre poterat pre» tium. S. Augustinus (In Enchir. Cap. 108.): » » Neque per ipsum *ait* mediatorem hominem Chri» stum, nisi esset Deus ». S. Fulgentius (2): Nul» latenus; *inquit*, humana natura ad auferendum » peccatum Mundi sufficiens, atque idonea fieret; » nisi unione Verbi Dei, non naturali confusione, » sed solum personali transiret. Tandem S. Ansel» mus (In Opere *Cur Deus homo*): Hanc satisfa» tionem non potest facere nisi Deus: nec debet nisi ». homo; necesse est ut eam faciat Deus homo ». Ergo etc. (3).

---

(1) In Evang. de Passion. et Cruce Domini.

(2) De Incarnatione, et Gratia Cap. IV.

(3) Quae hactenus dicta sunt, eo profecto recidunt, nimirum, Verbi Divini Incarnationem fuisse ex hypothesi necessariam. Hujusmodi autem hypothesis duplex est; altera scilicet, qua ponitur, Deum ab aeterno Verbi incarnationem decrevisse; altera, qua statuitur, Deum sibi, laesaeque suae justitiae condignam exigere satisfactionem. Harum hypotheseon: nisi utraque, vel saltem admittatur alterutra, absolute quidem necessaria, dicenda non erit Incarnatio.

CAPUT IV.

De Caussis Incarnationis Filii Dei,

§. 413. *Def. Caussa*, generatim accepta, *est principium, quod in se rationem continet sufficientem rei alicujs existentis.*

§. 414. *Schol.* Quod ad rem attinet praesentem, triplex caussa distinguitur; nempe 1. *Principalis efficiens*; 2. *meritoria*; 3. *finalis*. Caussa efficiens principalis Incarnationis est illa, quae virtute sibi propria Incarnatiouem operata est; Caussa meritoria est illa, quae meruit ut Incarnationem, caussa principalis efficiens operaretur; Caussa tandem finalis Incarnationis est id, propter quod obtinendum caussa principalis efficiens operata fuit Incarnationem.

§. 415. *Schol.* Porro caussam principalem efficientem Incarnationis, SS. Trinitatem Divinam fuisse, ignorat nemo. Cum namque opera Dei *ad extra*, sint tribus Personis communia, cumque Incarnationis Mysterium sit opus Dei praestantissimum *ad extra*, Divinæ Trinitati omnino adscribendum est. Sane Incarnatio, Sacris in literis, tam Patri, quam Filio, et Spiritui Sancto tribuitur. Patri quidem, qui (Ad Galatas Cap. IV. v. 4.) *misit Filium suum factum ex muliere*; Filio, *qui* (Ad Philipp. Cap. II. v. 7.) *cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*; Spiritui Sancto tandem, quippe *quod* in Virgine Maria *natum est, de Spiritu Sancto est* (Matth. Cap. I. v. 27.). Quod in Scholis ergo disputatur, totum circa caussam sive meritoriam, sive finalem Incarnationis versatur. Et ut Nestorium praetereamus, qui effutire non erubuit, Christum ante unionem cum Verbo, fuisse per aliquod tempus purum hominem, et tunc

meruisse humanitati suae, ut assumeretur a Verbo, opinatur Suarez (Disp. XX. Sect. IV.), Christum potuisse mereri Incarnationem secundum exequutionem, et ut facta est in tempore; idque per opera subsequentia ipsam Incarnationem, quæ Deus praevidit. Putarunt alii, B. Virginem Mariam meruisse de condigno (§. 214.) divinam Maternitatem; alii vero tuentur, eam nonnisi de congruo talem dignitatem fuisse promeritam. Contendunt alii cum D. Bonaventura, SS. Patres Veteris Testamenti de congruo meruisse substantiam Incarnationis, saltem quoad effectum minus principalem, scilicet aperitionem Regni Cœlorum. Existimant alii, Sanctos illos Patres meruisse quidem de congruo Incarnationem, non quidem quoad substantiam, sed quoad accelerationem, et alias circumstantias (Vasquez. Disp. XX. Cap. IV.). Loquendo autem de caussa finali Incarnationis, duplex est opposita sententia. Thomistae sustinent, caussam finalem Incarnationis fuisse humani generis, jam lapsi, reparationem, adeo ut si Adam non peccasset, nec Verbum Divinum fuisset incarnatum; Contra tuentur Scotistae, Adae peccatum solum, et talem caussam non fuisse Incarnationis Verbi Dei, et ita quidem, quod si Adam innocens mansisset, adhuc Incarnatio peracta fuisset; Quid nos sentiemus, ex sequentibus propositionibus manifestum clarissime fiet.

PROPOSITIO I.

Christus neque ante, neque post unionem hypostaticam mereri potuit suam Incarnationem.

§. 416. Prob. Principium omnis meriti in Christo Domino est unio hypostatica; Ergo neque ante, neque post eam Christus Incarnationem mereri potuit; non ante, quia non existebat Deus homo, et quod non existit nequit operari, nec consequenter me-

reri ; non post, quia Incarnatio jam erat peracta ; Igitur etc. Hinc S. Augustinus (Lib. de Corrept. et gratia Cap. XI.): « Ista nativitas, inquit, profecto » gratuita conjunxit in unitate personae hominem » Deo, carnem Verbo; istam nativitatem bona opera » secuta sunt, non bona opera meruerunt.

PROPOSITIO II.

Beatissima Virgo Maria de congruo meruit ut esset Mater Dei, non de condigno.

§. 417. Prob. 1. Ex Patribus. S. Ambrosius de Maria Virgine loquens, ait (Lib. II. de Virginibus.) : « Quid in singulis moror : quae digna fuit, » ex qua Filius Dei nasceretur? Quomodo, inquit » S. Epiphanius (Hæresi VII.), audent impetere im» pollutam Virginem, quae digna facta est habita» culum fieri Filii Dei? » S. Augustinus (Serm. II. de Nativ.) : « Talis, scribit, eligitur Virgo, quae » tantum in se haberet meritum, ut Dei Filium in » se susciperet ». S. Petrus Damianus tandem, ut » alios pene innumeros taceamus (Serm. II. de As» sump.), singularis ejus sanctitas, et gratia, in» quit, hoc promeruit, quod susceptione Dei singu» lariter judicata est digna ». Ergo etc.

§. 418. Prob. 2. p. Ut BB. Virgo mereretur de condigno Divinam Maternitatem, debuisset adesse pactum divinum de danda ei, ex justitia, Divina Maternitate (§. 220.); atqui nullum invenitur in Scripturis pactum hujusmodi; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Veteris Testamenti Patres de congruo aliquas tantum Incarnationis circumstantias meruerunt.

§. 419. Prob. Nam Abraham Patriarcha meruit ut ex semine suo nasceretur Messias; dixit enim ei Deus (Gen. Cap. XXII. v. 16. 17. 18.): *Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum: et benedicentur in semine tuo* (hoc est in Christo) *omnes Gentes*. Clamantes ad Dominum, et orationi instantes David, atque Isaias, necnon Propheta Daniel, ut Deus misericordia motus, visitaret homines in salutari suo, meruerunt ut tempus adventus Messiae abbreviaretur. Hinc dixit Dominus Davidi (Psal. II. v. 6.): *Propter gemitum pauperum nunc exurgam*; et Gabriel Archangelus Danieli ait (Cap. IX. v. 24.): *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum etc.* Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Inspecta Incarnatio Divini Verbi prout de facto peracta fuit, ejus caussa finalis fuit humani generis redemptio.

§. 420. Prob. 1. ex Scripturis; Nam quod olim prædixerat Archangelus Gabriel Danieli Prophetae (Ibid.), tempus nempe adventus Messiae fuisse abbreviatum, *ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas*, perfecte in Incarnatione Divini Verbi adimpletum fuit. Siquidem (Lucæ Cap. XIX. v. 10.): *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. Christus Jesus* (Ad Titum Cap. I. v. 15.) *venit in hunc mundum peccatores salvos facere;* Et (Epist. I. Joan.

Cap. IV. v. 19.): *Deus misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Ergo etc.

§. 421. *Prob.* ex Patribus. S. Irenaeus ita inquit (Lib. V. Cap. XIV.): « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: » et S. Basilius (Homil. 29.): Hoc Verbum, scribit, Filius Dei, homo factum est ob lapsum hominem Adamum ». Ita pariter loquuntur S. Athanasius (Orat. 2. contra Arianos.), S. Gregorius Nazianzenus (Orat. 36.), Sanctus Joannes Chrysostomus (Hom. 31. in Matth.), Origenes (Hom. 24. in Num.); aliique Graeci. Neque ab iis dissentiunt latini Patres. Audiantur prae caeteris S. Ambrosius, et S. Augustinus. Et quidem S. Ambrosius. « Quae » erat caussa Incarnationis, *inquit* (Lib. de Incarn. » Cap. VI.), nisi ut caro, quae peccaverat, per se » redimeretur »? S. vero Augustinus pluribus in locis hanc tuetur veritatem, sed praecipue ubi de Verbis Apostoli sermocinatur; Ait enim (Serm. 174. alias 8.): « *Venit Filius hominis quaerere*; et sal- » vare quod perierat. Si homo non periisset, Filius » hominis non venisset; Et alibi (Serm. 175. alias 9.): Nulla caussa fuit veniendi Christo Domino, » nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle » vulnera; et nulla est caussa medicinae, si venit » de Caelo magnus medicus, magnus per totum or- » bem jacebat aegrotus ». Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Improbabile non est, Verbum Divinum humanam carnem assumpsisse, etiamsi Adam non peccasset.

§. 422. Prob. Apostolus ad Colossenses scribens de Christo, ait (Cap. I. v. 15. 16.): *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in Caelis, et in Terra,*

visibilia, et invisibilia: ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium etc. Ex quibus Pauli verbis, duo potissimum aperte eruuntur, primum, Christum Dominum esse omnium creaturarum primogenitum, secundum ordinem intentionis Divinae, praevisum, atque ante quamcumque aliam creaturam praedestinatum; id quod ex mente Sanctorum Patrum, satis etiam aperte demonstrant verba illa (Proverb. Cap. VIII. v. 22.): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; Secundum, Christum esse caput Ecclesiae, quod aliis in locis Apostolus ipse clare ostendit. Ergo improbabile non est etc. Prob. consa. Et 1. quidem Christus est Primogenitus omnis creaturæ; Ergo ante Adam, ejusque peccatum praevisus, et intentus; Ergo si Adam non peccasset, Christus etiam venisset in Mundum. Secundo; Christus est Caput Ecclesiæ; si ergo Adamo non peccante Christus non venisset, aut Ecclesia non fuisset in Mundo, durante statu innocentiæ, aut destituta capite, et monstrum horrendum fuisset; Atqui neutrum dici potest; non primum, quia sive Adam peccasset, sive non, semper Ecclesia sine capite esse nequit; Ergo etc.; Adeoque etc (1).

§. 423. Dices. Sacræ Scripturæ, et Patres non aliam caussam Incarnationis Verbi assignant, quam humani generis a servitute Diaboli, et peccati liberationem; Ergo si Adam non peccasset, Divinum Verbum humanam carnem non assumpisset; Adeoque falsa propositio.

§. 424. R. Sacræ Scripturæ, et Patres de Verbi Divini Incarnatione loquuntur secundum eam rationem, qua de facto peracta fuit. Cum ergo, stante Adæ peccato, Christus venit in Mundum, et peccatores

---

(1) Plura thesim hanc mirifice confirmantia affert Frassen de causa finali Incarnationis etc. I. Concl. 1.

salvos fecit per vitam, mortem, et resurrectionem suam, propterea, una voce, et Scripturæ, et Patres præcipuam caussam finalem Incarnationis Verbi Divini, humani generis redemptionem fuisse adfirmant; quod utique de fide est, et nos ipsi tuemur (§. 420. 421.). Nihil ergo ex Sacris Scripturis, et Patribus adversus propositam propositionem conficitur (1).

CAPUT V.

De perpetua Beatæ Mariæ Virginitate.

§. 425. *Def*: *Virginitas* dicitur *integritas expers omnis carnalis libidinis tam corporis, quam mentis.*

§. 426. *Coroll.* Ad veram itaque virginitatem tria concurrere debent; 1. nempe carnis, seu virginei sigilli integritas; 2. carentia omnis sensus, et consensus libidinosi; 3. propositum abstinendi ab omni ea libidine. Aliquod horum si desit, Virginitas vera non est, et perfecta.

§. 427. *Schol*: Hanc porro egregiam, et maxime oculis Dei purissimis, acceptam dotem, virtutemque in Beatissima Maria, Catholici omnes tuentur, refragrantibus Hæreticis. Apollinaris namque, Cerinthus, et Ebion, Mariam ante partum Virginem non fuisse blasphemant, dicentes, eam naturaliter ex S. Josepho, Jesum Christum genuisse, aliarum mulierum more. Calvinus cum aliis vult, Mariam in partu Jesu Christi Filii sui, et Domini nostri, virginitatem amisisse. Helvidius, Jovinianus, et Macedonius, Mariam post natum Christum, alios filios ex S. Josepho genuisse, effutierunt. Quos omnes sequenti propositione confutabimus.

---

(1) Vid. Frassen citat. Boyvin Cap. I. q. 8. Dupasquier Tomo VI. Disp. III. de causis Incarn. q. 1.

PROPOSITIO.

Beata Maria fuit semper Virgo; ante partum nempe, in partu, et post partum.

§. 428. Probatur 1. p. Jsaias Propheta de Maternitate Mariae cum vaticinaretur, ait (Cap. VII.): *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium;* quod teste S. Luca (Cap. I. v. 34. et seq.), adamussim in conceptione Jesu Christi adimpletum est. Cum namque Archangelus Gabriel Mariæ annuntiasset Verbi Divini in ejus utero incarnationem, respondit ipsa: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Cui Archangelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quibus verbis, de conservatione suae virginitatis Maria certior facta in conceptione Filii Dei, utpote quae supernaturali Spiritus Sancti virtute, non more humano, eventura erat, consensum Incarnationi praestitit; dicens: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Ergo B. Maria fuit Virgo ante partum.

§. 429. Prob. 2. p. quod nempe Immaculata Maria fuerit Virgo in partu. Nam Isaias non solum prædixit Virginem, Filium concepturam fuisse, sed Filium ex ea nasciturum; ait siquidem: *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium.* Ergo etc. Unde S. Augustinus « Virgo, ait genuit, quia Virgo concepit. » Inviolata peperit; quia in conceptu libido non fuit. » Utrobique miraculum; et sine conceptione gravida, » et in partu Virgo puerpera »; Ergo etc.

§. 430. Prob. 3. p.; quod nempe etiam post partum fuerit Virgo Maria. Ezechiel Propheta ita vaticinatur (Cap. LXIV., v. 2.): *Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Porro per hanc portam praefiguratam volunt Patres, Beatissimam Virginem Mariam, et quia Virgo non

solum ante partum, et in partu, sed etiam post partum. Quare S. Hieronymus (Comment. in hunc loc.): Pulchre quidem, *inquit*, clausam portam, per quam » solus Dominus Deus Israël ingreditur, Mariam Virginem intelligunt, quæ et ante partum, et post » partum Virgo permansit »: Et sane fieri non poterat, scribit S. Ambrosius (Lib. de Instit. Virg. Cap. VI.) « ut Joseph vir justus in hanc prorupis- » set amentiam, ut Matri Domini corporeo concu- » bitu misceretur »; Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 431. *Objic.* S. Joseph in Scripturis Pater Jesu Christi appellatur; legitur quippe (Lucæ Cap. II. v. 33. et 34.): *Erat pater ejus, et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo; et: Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.* Ergo communi ordine Christus Dominus a Maria conceptus, et editus fuit; Ergo Maria ante partum, et in partu Virgo non fuit.

§. 432. R. dist. ans. S. Joseph etc., pater putativus, conc.; verus, et naturalis, nego ans. Ergo etc.; n. utramque consm. Evangelistae, verbis utor S. Hieronymi (Lib. adv. Helvid.) « Patrem Joseph » dicunt, non quod vere Pater Joseph fuerit Salva- » toris, sed quod ad famam Mariæ conservandam » pater sit ab omnibus existimatus ». Unde et legitur apud S. Lucam (Cap. II. v. 23.): *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph:* quod manifestum est, inquit S. Augustinus (Lib. II. de Cons. Evang. Cap. 21.): Evangelistam dixisse propter illos, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur.

§. 433. *Contra.* Atqui S. Joseph fuit vere pater Christi naturalis; Ergo n. r. Prob. sub. Christus Dominus ab Apostolo Paulo (Ad Rom. Cap. I. v.

3.) dicitur *factus ex semine David secundum carnem*; Atqui filius ex semine David Christus factus dici non posset, si S. Joseph, qui filius David dicitur, non fuisset ejus pater naturalis, et carnalis; Ergo S. Joseph etc.

§. 434. R. Argumentum hoc, quod prima fronte insolubile videtur, nullius pene roboris dignoscitur, si advertatur, apud Hebraeos matrimonia iniri non posse, nisi inter personas ejusdem Tribus. Cum ergo Maria fuerit S. Josepho desponsata, et Joseph fuerit de domo et familia David (Lucae Cap. II. v. 4.); proculdubio et ipsamet Maria de eadem domo et familia David fuit, alias desponsari Josepho non potuisset. Optime itaque dicitur Christus factus ex semine David secundum carnem, quia conceptus, et editus in lucem a Maria sponsa S. Josephi et ipsa de familia David (1), etsi S. Joseph pater ejus naturalis non fuerit.

§. 435. *Contra.* Atqui etiamsi Maria fuerit ex progenie David, adhuc tamen S. Joseph pater naturalis est Christi, et consequenter ipsa non fuit Virgo in partu; Ergo n. r. Si Maria fuisset Virgo in conceptione et partu Jesu Christi, et S. Joseph, exstimatione tantum Jesu Christi esset Pater, Maria appellaretur in Scripturis Virgo, et non mulier, faemina scilicet a viro cognita; Atqui ex quo Maria Jesum genuit, et peperit, non Virgo, sed mulier appellatur; Ergo etc.

§. 436. R. dist. maj. Si etc. Maria, Virgo appellaretur, et non mulier, si nomen *mulier* fœminam designaret illam quae viro subacta fuerit; concedo; si etiam Virginem designat, n. maj.: et cotrad. min. n. consm. Nomen hoc *mulier*, non semper fœminam

---

(1) Vid. S. Augustin. Tract. 48. in Evang. S. Joan.

a viro compressam significare Sacris in Literis, puto satis notum esse. Sane Adam cum a Deo fuit de patrato peccato correptus, nondum Evam uxorem suam cognoverat, Eva erat Virgo, et tamen ipse vocat eam mulierem, dicens (Gen. Cap. III· v. 12.): *Mulier quam dedisti mihi sociam etc.* S. Paulus ad Corinthios scribens de honestate foeminarum, certe non de illis tantum loquitur, quae conjugio copulatae sunt, et viris utuntur, aut de viduis, sed de virginibus quoque, imo de istis potissimum, cum virgines maxime deceat modestia, et solitudo, et tamen omnes indiscriminatim mulieres appellat, dicens (Epist. I. XI. v. 5. 6.): *Omnis autem mulier velet caput suum.* Licet ergo Maria mulier in Scripturis appelletur, adhuc tamen ante Partum et in Partu Virgo dicenda est; et S. Joseph non naturalis, sed putativus Jesu Christi pater habendus.

§. 437. *Objic.* contra 3. p. Apud S. Matthæum habetur (Cap. I. v. 75.): *Et* (scilicet S. Joseph) *non cognoscebat eam*, idest Mariam, *donec peperit filium suum;* Ergo postea cognovit eam; adeoque Maria non fuit Virgo post partum.

§. 438. R. admitt. auct., n. consm. Totum propositi argumenti robur in adverbio *donec* repositum est, quasi ibi significet temporis latitudinem, in qua S. Joseph ab uxore sua cognoscenda abstinuit, et qua expleta, eam cognovit, sed immerito. Nam Sacris in litteris tale adverbium non semper exprimit rei alicujus desitionem, et principium rei oppositae. Sane ait David (Psal. 109. v. 2.): *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sgabellum peduum tuorum.* In sensu itaque adversariorum, cum haec verba dicta sint a Deo Patre ad Iesum Christum ejus filium, iste tantum temporis regnare debuisset, et ad Patris dexteram sedere, quantum ad nominis ejus hostes, et Religionis impugnatores expugnandos opus fuisset, et

non amplius; cum tamen constet, Regnum ejus esse Regnum omnium sæculorum. Cum ergo Scriptura dicat: *et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum*, non sequitur, quod eam Joseph post partum cognoverit.

§. 439. *Contra*. Atqui laudato in loco satis ostendit Evangelista, S. Josephum, Mariam post ejus partum cognovisse; Ergo n. r. Prob. subs. Laudato in loco ait Evangelista, quod Maria peperit *Filium suum primogenitum*. Atqui *primogenitus* dicit relationem ad *secundogenitum*; Ergo Maria, post partum Jesu Christi, habuit alios filios ex S. Joseph; Adeoque laudato etc.

§. 440. R. *Primogenitus* Sacris in literis non solum dicitur is qui alios post se genitos habet, sed qui primo genitus est a matre, nullumque ante se habet, licet nullum post se habeat. Certe si ita non esset, praecipiens Deus Israelitico populo, et dicens (Exodi Cap. XIII. v. 1.): *Sanctifica mihi omne primogenitum*, duo necessario sequerentur: primum, praeceptum hoc non statim obligasse ad exequutionem, sed postquam secundus genitus fuisset natus. Genitor enim primogeniti potuisset petentibus siclum pro filii redemptione, respondere: *Expecta donec nascatur secundus. Nihil debeo Sacerdoti, nisi et ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus*. Ita Hieronymus. Secundum, unigenitos fuisse ab hoc praecepto exclusos; nam non habentes secundogenitos, primogeniti non fuissent; Atqui hoc praeceptum statim post unum mensem obligabat, et unigeniti ab eo non excipiebatur; Ergo primogenitus potest esse, et est unigenitus non raro. Adeoque licet dicatur, Mariam peperisse filium suum primogenitum, non sequitur, quod alios ex Josepho habuerit post natum Christum.

§. 441. *Contra*. Atqui Jesus Christus dicitur Mariae primogenitus, non solum quia primus fuit in

lucem editus, sed quia secundo genitos habuit; Ergo n. r. Prob. subs. Christus in Evangelio dicitur fratres habuisse; apud Matthaeum namque legitur (Cap. XII. v. 41): *Ecce Mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te*; et apud Joannem (Cap. II. v. 12.): *Post haec descendit Capharnaum ipse* (scilicet Dominus Jesus), *et Mater ejus, et fratres ejus*, nempe (Matth. Cap. XII. v. 36.) *Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas*; Ergo etc.

§. 442. R. dist. cons: Christus etc. Fratres habuisse consobrinos, conc. ans:; germanos, et natura, n. ans., et consm. Multiplici sensu aliqui fratres vocari solent in Scripturis. Primo fratres vocantur; qui ex iisdem parentibus geniti fuerunt; ita Cain et Abel; Jacob et Esau fratres fuerunt; secundo fratres dicuntur, qui de eadem gente, et natione sunt; hoc pacto Hebraei dicebantur invicem fratres; Unde in Deuteronomio dicitur Israeli (Cap. XV. v. 12.): *Cum venditus fuerit frater tuus Hebraeus, aut Hebraea* etc. Tertio vocantur fratres qui de eadem stirpe, et familia sunt, licet ab eadem genitrice non progeniti; ita Loth, et Abraham fratres appellati fuerunt. Tandem fratres aliqui vocantur, non cognatione, sed affectu; ita Dominus, Apostolos vocare dignatus est fratres, et nos invicem fratres esse dixit (1), et voluit. « Nos ergo; cum S. Thoma, » fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos » Salvatoris, Mariae materterae Domini filios intel» ligimus . . . . . Unde fratres Domini dicti sunt, » non secundum naturam, quasi ab eadem matre » nati; sed secundum cognationem, quasi consangui» nei ejus existentes, Joseph autem, sicut Hierony» mus dixit contra Helvidium, magis credendus est

(1) Matth. Cap. XXVI. v. 8. Joan Cap. XX. v. 17.

« virgo permanisse, quia aliam uxorem habuisse » non scribitur, et fornicatio in sanctum virum non cadit «.

CAPUT VI.

De corpore quod ex Virgine Maria Verbum assumpsit.

§. 443. *Animad.* Simon Magus, Saturninus, aliique non pauci Haeretici, Verbum Divinum verum corpus humanum assumpsisse inficiati sunt, asserentes, corpus ejus, nonnisi phantasticum, et adparens fuisse: unde et phantasiastae dicti fuerunt. Valentinus; Gnostici, Apollinaris, Apelliani', et Cerdon, verum quidem corpus assumpsisse Verbum dixerunt, sed illud caeleste, non terrenum, et nostro simile; quodque per Virginis uterum, veluti per canalem transiisse, effutierunt. Alii alia commenti sunt. Contra quos Catholici sequentes tuentur propositiones.

PROPOSITIO I.

Verbum Divinum veniens in Mundum, verum corpus, veramque humanam carnem assumpsit.

§. 444. Prob. 1. ex Scripturis. Joannes Evangelista sic initio Evangelii ait (Cap. I. v. 14.). *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; et alibi (Epist. I. Cap. IV. v. 2.): *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Apostolus pariter ad Romanos scribens, ait (Cap. I. v. 3.). *Factus est* (Christus nempe) *ex semine David secundum carnem*; et ad Timotheum (Epist. I. Cap. XI. v. 5.): *Unus*, inquit, *est mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus.* Quid plura? Christus ipse, omne circa suam carnem evellit

dubium, dubitantibus discipulis dicens (Lucae ultimo.): *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet sicut me videtis habere*; Ergo etc.

§. 445. Prob. 2. Ex Conciliis. Concilium Nicaenum haec habet: *Et incarnatus est Filius Dei, et homo factus est*. Constantinopolitanum IV. *Confitemur unicum Dei Verbum Incarnatum, et factum fuisse propter nos, secundum nos . . . Unum, eumdemque Christum, et Dominum Deum scilicet perfectum, et hominem perfectum in una persona*; Ergo etc.

Hæreticorum argumenta opposita solvuntur.

§. 446. *Objic.* 1. Apostolus Paulus ad Philippenses de Christo loquens, ait (Cap. II. v. 7.): *In similitudinem hominum factus*; Ergo non veram carnem, et verum corpus Verbum Divinum assumpsit.

§. 447. dist. ans. Apostolus etc., et ibi loquitur Apostolus de similitudine substantiali, et specifica, qualis est inter homines, qui similes specie, sive natura humana dicuntur, conc. ans.; loquitur de similitudine phantastica, et apparenti, nego ans., et consm. Cum Apostolus dicit, Christum factum in similitudinem hominum, non vult intelligere, illum, corpus phantasticum, et apparens, sed verum humanum corpus habuisse; quasi diceret: Christus, licet Deus sit et homo, apparuit homo, uti sunt alii homines, et sicut omnes homines inter se specie similes sunt, ita et Christus verum corpus habens, aliis hominibus similis fuit; quod ex verbis immediate sequentibus patet; nempe: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: profecto qui se humiliat, qui fit obediens, qui mortem, et mortem crucis patitur, humanum corpus, ut alii homines, habet.

§. 448. *Contra*. Atqui Apostolus totus est, ut ostendat, Christum revera reali haud præditum esse carne; ergo n. r. Subs: Apostolus citato in loco, non solum testatur, Filium Dei in similitudinem hominum factum, sed adjungit; *habitu inventus, ut homo*; ergo ita intelligendus est, ut sensus sit, Filium Dei ea factum ratione in hominum similitudinem, qua quis regio indutus habitu fit in similitudinem Regis, et subinde carnis includit apparentiam, illiusque veritatem excludit: adeoque totus est etc.

§. 449. R. Conc. ans: et n. consam. Non certe omnino paritas de habitu nos urget, et quidem in omnibus, sed dumtaxat in eo, quo Scripturæ demonstrant. Verum est per habitum designari posse externae apparentiæ similitudinem; id tamen eo verificatur loci, ubi reipsa non est, aut esse nequit realis entitas, et consubstantialis identitas, non autem ubi istam adesse aliunde constat; sic Regem si invenio regalibus indutum vestibus, perpulchre dicere mihi licet, Regem invenisse habitu, et Regem. Quid ergo vetat, ut innumeris Scripturæ locis constat, et præsertim ex eodem Apostolo, quod vera caro, et quidem de Abraha assumpta fuerit a Dei Filio, dicere, ipsum per hanc carnem (quae fuit veluti vestis ad nostrum intelligendum modum, quo invisibilis Deus fieri dignatus est visibilis) habitu inventum ut homo? Porro si per adversarios phantasiastas, ut filius Dei dicatur habitu inventus ut homo, vere debuit habere phantasticam carnem cum externa hominis apparentia; quid vetat, quatenus idem ipse dicatur habitu inventus ut homo, si etiam realitatem habuit subsistentiæ hominis? hoc quippe, quod est magis, includit illud, quod minus est.

§. 450. *Contra*. Atqui Christus in similitudinem hominum factus est, quia non verum, sed phantasticum corpus habuit; Ergo n. r. Prob. subs. Idem Apostolus qui dixit, Christum in similitudinem homi-

num factum, dixit quoque, eum a Deo Patre missum *in similitudinem carnis peccati* (Roman. Cap. VIII. v. 3.); Atqui per similitudinem carnis peccati non intelligunt Catholici, Christum, carnem vere peccatricem assumpsisse; Ergo per similitudinem hominum, non intelligitur, Christum vere carnem humanam assumpsisse; Adeoque etc.

§. 451. R. Christus optime dicitur a Deo missus in similitudinem carnis peccati, licet ipse peccatum non fecerit (Epist. I. Petri Cap. II. v. 22.), neque dolus inventus fuerit in ore ejus, quia apparuit exterius sicut et cæteri homines calamitatibus, et doloribus obnoxius, peccata portans non sua, sed aliorum. « Non enim, ait *S. Thomas* (In hunc lo-» cum.), habuit carnem peccati, idest cum peccato, » conceptam . . . . sed habuit similitudinem carnis » peccati, idest similem carnem carni peccati in hoc « quod erat passibilis; nam caro hominis ante pecca-» tum passioni subjecta non erat » : Heb. II. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Ex quo itaque doceant Catholici, Christum peccato carnem obnoxiam non assumpsisse, licet Apostolus dicat eum fuisse missum in similitudinem carnis peccati, non potest inferri, eum veram carnem humanam non assumpsisse, ex quo idem Apostolus dicat, eum factum fuisse in similitudinem hominum.

§. 452. *Objicies* 2. Verbum Divinum veram carnem non assumpsit, si caro in Sacris Scripturis despicitur; Atqui ita se res habet; ergo etc: Pr: min: Apostolus ad Corinthios (Cap. IV.), ait: *Caro, et sanguinis regnum Dei non possidebunt*; ergo in Sacris etc: Adeoque etc:

§. 453. R. dist: 1. consequens: despiciuntur opera carnis, idest peccata, ad quae nostra caro peccato infecta inclinat, conc: consam, despicitur substantia carnis, n. consam. Si de carnis substantia in allato Apostoli loco sermo esset, quae non vera, sed appa-

rens reputaretur, vana quippe est spes nostra, falsum Resurrectionis nostrae dogma, nec Christus venisset vere ad salvandos nos homines, qui non umbratili, sed reali compacti sumus carne; qua de re intelligendus Apostolus omnino est de carnis operibus, idest de peccatis, de quibus ad Romanos (Cap. V. v. 13.) ait: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*; ac subinde substantia carnis, quae passim in Scripturis, et ab ipso admittitur Apostolo, haud despicitur, sed opera carnis, ejusque facta, quae spiritu sunt mortificanda.

§. 454. *Contra.* Atqui Apostolus negat subsistentiam carnis in Christo; ergo r. n. Prob: subs: Etsi Apostolus veram carnem pluribus in locis agnoverit in Christo, ad Corinthios vero (Cap. V. v. 16.) Omnino se retractat dicens: *etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Ergo etc.

§. 455. R. Neg. ans: non enim ibi Apostolus se retractat a cognitione veræ carnis in Christo, sed a magna existimatione, quam prius habebat de quocumque, qui carne esset, et sanguine ipsi Christo cunjunctus. Apostolus quidem gloriatur ibi, se totum vivere Christo, atque hac glorificatione se, suamque commendat prædicationem, tacita quadam esclusione quorundam Pseudo-Apostolorum, qui falsis prædicationibus, fidem conciliari volebant, eo quod cum Christo aliquam haberent consanguinitatem; quasi dicere vellet, vera Apostolatus gloria vivere est cum Christo totaliter, indeque ostenderet, veros haud dici Apostolos, qui jactantes familiaritatem cum Christo, ipsi tamen Christo minime vivunt. Alioquin si Apostoli verba ita essent intelligenda, ut revera sensus esset veritatem Carnis in Christo negare, negaret etiam in omnibus hominibus, cum dicat: *itaque ex hoc neminem novimus secundum carnem, et si cognovimus*

secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.

§. 456. *Contra.* Atqui Apostolus denegat veram carnem Christo; ergo r. n. Prob: Subs: ideo Apostolus ait: *Caro et Sanguis regnum Dei* etc:, quia caro est prorsus Deo indigna, cum infinite distet a Deo, cum adversus Spiritum concupiscat, cum a principio procedat malo; ergo etc.

§. 457. R. dist. ans; quoad commixtionem naturæ, conc: antec; quoad unitatem personae, n. antec: et consm. Per talem eam unionem illesae, et distinctae remanent natura Divina, et humana, sicut illesae remanent earum proprietates; qua de re indigna Deo caro non est. Ad id vero quod inferunt, Deum scilicet et humanam carnem infinite distare, dicimus, verum id esse, ratione tantum entitatis, non vero habitudinis et convenientiæ; dicimus pariter, carnem labe fœdatam, quam Christus non assumpsit, concupiscere adversus Spiritum, non autem carnem a Verbo assumptam rationi conformem, et omnino Spiritui subjectam; dicimus tandem, quod prius Manichæi ostendant duplex adesse principium, deinde nostrum impugnent dogma.

PROPOSITIO II.

Verbum Divinum, humanum corpus quod habuit, non tulit e Cœlo, sed ex Virgine Maria assumpsit.

§. 458. Prob. ex Scripturis. De futuro Messia prophetans Isaias ait: (Cap. VII. v. 14.) *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium;* quod et revera factum est; *Nam ut venit plenitudo temporis*, scribit Apostolus ad Galatas (Cap. IV. v. 4.), *misit Deus filium suum factum ex muliere.* Siquidem Archangelus Gabriel Virgini Mariae Verbi incarnationem annuntians, dixit ei (Lucae Cap. I. v. 31.): *Ecce*

concipies in utero, *et paries filium*, *et vocabis nomen ejus Jesum*; de facto *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto* (Matth. Cap. I. v. 18.); et cum impleti fuisset dies, ut pareret (Lucae Cap. II. v. 7.): *peperit filium suum primogenitum*, *et pannis involutum reclinavit eum in præsepio*. Quibus positis en argumentum: illud corpus quod in mulieris utero concipitur, et statuto tempore editur etiam in lucem, corpus certe humanum est ex muliere assumptum, nec aliunde allatum; Atqui corpus quod Divinum Verbum habuit, fuit in Virginis Mariæ utero de Spiritu Sancto conceptum, et ab ipsa in lucem editum; Ergo etc.

§. 459. Dices Apostolus ad Corinthios ait (Epist. I. ad Corinth. Cap. XV.): *Primus homo de terra terrenus*, *secundus vero de Cælo cælestis*; Atqui secundus homo est Christus; Ergo non habuit carnem ut Adam primus homo de limo terræ, sed de Cælo allatam, adeoque etc.

§. 460. R. cum S. Thoma (In laud. loco.). « » Secundus homo dicitur de Cælo; non quod attule- » rit corpus de Cælo, cum de terra assumpserit, sci- » licet de corpore Beatae Virginis: sed quia divini- » tas (quae naturae humanae fuit unita) de Cælo » venit, quae fuit prior quam corpus Christi ». Quod ipsum jam antea docuerat S. Augustinus, dicens (Dialogo Quaest. Orosii q. 4.): « Hic homo » (Christus nempe) Cælestis est. Cælestem dico, quia » non ex humano conceptus est semine, sed de Ma- » ria Virgine pro nostra salute assumptus a Filio » Dei, sicut Evangelista Joannes testatur: *Et Ver-* » *bum*, inquit, *caro factum est*, *et habitabit in no-* » *bis* »: Ergo etc.

Idipsum respondendum est ad id quod de se affirmat Christus ipse apud Joannem (Cap. VI. v. 41.): *Ego sum panis vivus*, *qui de Cælo descendi*.

PROPOSITIO III.

Corpus humanum quod Verbum ex Virgine Maria assumpsit, fuit mortale, et doloribus obnoxium.

§. 461. Prob. ex Scripturis. Isaias Christum annuntians, eum praedixit (I. III. v. 3. 4.): *Virum dolorum, et scientem infirmitatem;* additque: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et quidem Jesus Christus (Matth. Cap. IV. v. 6.) *exuriit, fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem* (Joann. Cap. IV. v. 6.): *Infremuit spiritu, et turbavit seipsum . . . . lacrymatus est* (Id. Cap. XI. v. 33. 35.): *coepit pavere, et tædere* Et ait: *tristis est anima mea usque ad mortem* (Marci Cap. XIV. v. 33. 34.): fuit captus, et post varia ludibria, et verbera, morte turpissima condemnatus, et cruci affixus, spiritum emisit; ejusque corpus exanime in sepulchro novo conditum fuit; Ergo etc; Quare S. Petrus fideles exortans ad ferenda pro virtute, adversa, ait (Epist. I. Cap. IV. v. 1.): *Christo passo in carne et vos eadem cogitatione armamini;* Ergo etc.

CAPUT VII.

De Anima Jesu Christi

§. 462. Satis de carne Jesu Chisti dictum est, nunc de ejus anima intellectu, et voluntate praedita, nonnulla scitu necessaria stabilienda sunt. Ariani, teste S. Athanasio (Lib. I. Contra Apollinarium.), *Salvatorem carnem solam assumpsisse statuunt, ac passionis sensum ad impassibilem deitatem impie, referunt.* Apollinaristae *initio quidem dicebant*, scribit Socrates (Lib. II. Hist. Cap.), *hominem absque anima a Deo Verbo assumptum esse*

in dispensationem incarnationis. Postea vero tamquam pœnitentia ducti, ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt, animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet: Deum autem Verbum, mentis loco esse in homine assumpto; Monothelitae tandem admittebant quidem animam in Christo, sed eam voluntate expoliarunt, effutientes, unicam esse in Christo voluntatem, eamque divinam. Hos omnes sequentes propositiones profligabunt.

PROPOSITIO I.

Verbum divinum veram animam humanam assumpsit.

§. 463. Prob. Christus apud Joannem ita loquitur (Cap. X. v. 17.): *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam*. Atqui haec anima non potest esse ipsa Divinitas, quia hanc numquam dimisit; Ergo fuit vera anima humana. Deinde ipsemet Christus apud Matthæum, inquit (Cap. XXVI. 38.): *Tristis est anima mea usque ad mortem. Tristabatur* ne in illo Divinitas? haud certe, sed vera anima humana. Tandem, ut alia silentio prætereantur, apud Lucam Jesus Christus discipulos alloquens, dixit (Cap. XXII. v. 15.): *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar;* Ergo veram animam humanam habebat. « Caro, inquit » S. Leo Papa (Serm. VIII. De Jejunio) sine ani- » ma nihil desiderat, et inde accipit sensus, unde » sumit motus ».

PROPOSITIO II.

Anima humana, quam Verbum assumpsit vere fuit mente, seu intellectu, et voluntate prædita.

§. 464. Prob. 1. p. Apud Isaiam de Christo Domino dicitur (Cap. XI. v. 2.): *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus Sapientiæ, et intellectus; spiritus consilii, et pietatis etc.*, quod jam impletum, Sacri Scriptores, Lucas, et Paulus ostendunt, primus, cum dicit (Cap. II. v. 3.), quod Jesus proficiebat ætate et sapientia); secundus cum ad Colossenses scribens (Cap. III. v. 3.) ait: *In quo*, idest Christo *sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiæ absconditi;* Atqui hæc nonnisi de intellectu humano animæ Christi intelligenda sunt, quippe qui solus, et non intellectus Divinus plenus esse potest spiritu Domini, nec non proficere sapientia; Intellectus namque Divinus idem est spiritus Domini, et cum omnia aeterno sciverit, sciatque, idem semper est in sapientia; Ergo etc.

§. 465. Prob. 2. p. In Evangelio S. Joannis (Cap. VI. v. 38.) ita testatur Christus ipse: *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* et apud Lucam (Cap. XXII. v. 42.): *Pater si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* duplex ergo fuit in Christo voluntas, humana, et Divina. Ad rem S. Ambrosius (Lib. X. in Lucam): « quod ait (nempe Christus) non mea » voluntas, sed tua fiat; suam ad hominem retulit, » Patris ad Divinitatem; voluntas enim hominis, » temporalis, voluntas Divinitatis aeterna. Non alia » voluntas Patris, alia filii: una enim voluntas, ubi » una Divinitas »;

PROPOSITIO III.

Humana Christi voluntas suam habuit humanam operationem.

§. 466. Prob. Jesus Christus (Marci Cap. VII. v. 24.) *abiit in fines Tyri et Sydonis, et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere;* Ergo quod tunc voluit, voluit volnntate humana, alias non potuisset non latere, voluntas enim divina impletur. Deinde (Joann. Cap. VII. v. 1.): *Ambulabat Jesus in Galilæm, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quaerebant Judæi eum interficere.* Si ergo noluit Jesus ambulare in Judæam, hoc noluit voluntate humana; nam uti Deus est, ubique est; Adeoque etc. (1).

Quaeres. *Utrum, et qua ratione Christi anima sanctificata fuerit?*

§. 467. R. ad 1. affirmative. Nam Christus dicitur Sanctus: *Quod nascetur ex te Sanctum*, dixit Archangelus Gabriel Mariae (Lucae Cap. I. v. 35.), *vocabitur filius Dei*; Et *talis utique decebat ut esset nobis Pontifex*, ait Apostolus ad Hebraeos scribens (Cap. VII. v. 26.), *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus etc.* Ergo etc.

§. 468. R. ad 2. Anima Christi Domini, seclusa omni gratia tam actuali, quam habituali, revera erat Sancta, Deo grata et accepta in ordine ad beatitudinem, per sanctitatem personalem. Nam *Christus*, ut loquitur Concilium Francfordiense (Epist. ad Episc. Hispan.), *natura unctus, non per gratiam, quia in illo fuit plene divinitas.* Unctus quidem, non sicut alii *Sancti et Reges*, scribit S. Cy-

---

(1) Quae contra expositas Propositiones objiciuntur satis obvia sunt penes supra citatos Auctores.

rillus (Lib. IV. in Joan. Cap. 29.); *sed quia Verbum caro factum est.*

Quaeres. *An Christi anima fuerit gratia habituali illustrata?*

§. 469. R. aff. Nam apud Isaiam de Jesu Christo habetur (Cap. XI. v. 2.): *Requiescet super eum spiritus Domini*, nempe gratia habitualis, ut explicat. S. Cyrillus (Initio Lib. II.). Hinc Joannes Evangelista de Verbo Incarnato loquens, inquit (Cap. I. v. 14.): *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae, et veritatis*: Quod utique de gratia creata sanctificante debet intelligi. Quare S. Augustinus (Lib. XV. de Trinit. Cap. 26.): » Dominus ipse Jesus, inquit, non solum Spiritum » Sanctum dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo, » et propterea dictus est plenus gratia, quia unxit » eum Deus Spiritu Sancto; non utique oleo visibili, » sed dono gratiae, quod visibili significatur unguen« to, quo baptizatos ungit Ecclesia ».

Quaeres. *An Christus fuerit impeccabilis* ?

§. 470. R. Affirm. Nam anima Christi per unionem hypostaticam, seclusa etiam omni gratia tum actuali, cum habituali, habuit sanctitatem personalem, atque substantialem (§. 467.); Ergo fuit impeccabilis. « Ecqui enim, ait S. Cyrillus Alexandrinus » (Lib. V. in Joan. Cap. V.), omnino fieri possit, » ut consubstantialis, et una Deitas ipsa contra sci» psam dissideat »? Deinde anima Christi gratia habituali illustrata fuit (§. 469.); Ergo si hac gratia Christus privari non poterat, nec etiam poterat peccare; adeoque etc. Praeterea « Natura humanæ men» tis, ait S. Bonaventura (Lib. III. Sent. art. 2. » q. 1.), quam Deus assumpsit, et quae nullo pec» cato depravari potuit, solus Deus major est; ergo » nullo modo anima Christi potuit infici aliqua ma» cula peccati. Item. Christus ab instanti conceptio» nis fuit comprehensor, et beatus: sed de essentia

» beatitudinis est, quod sit bonum, et inamissibile: » ergo Christus numquam illam beatitudinem potuit » perdere: ergo nec anima ipsius peccare. Item. Christus ab instanti conceptionis tantam gratiam suscepit, qua majorem illa habere non potuit: ergo ab » instanti conceptionis habuit gratiam confirmationis: » sed nullus potest peccare, qui illam gratiam habet: Ergo etc. Item. Si Christus potuit peccare, » ponatur in esse: quia possibili posito, nullum accidit impossibile: sed posito, quod Christus, sive » homo ille peccaverit, ponitur ex hoc quod dignus » fuit aeterna damnatione; ergo vel Deus damnaretur, vel homo a Verbo separaretur: sed utrumque omnino est impossibile: ergo impossibile fuit » illum hominem peccare »; Adeoq. etc.

Quaeres. *Utrum Christus habuerit visionem beatificam, et qua ratione Christus viator simul esset et comprehensor?*

§. 471. R. ad. 1. affirm. Nam Christus ipse apud Joannem (Cap. VI. v. 45. 46.) ait: *Omnis qui audivit a Patre, venit ad me, non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem;* et alio (Cap. VIII. v. 55.): *Si dixero, quoniam nescio eum (sc. Patrem), ero similis vobis mendax, sed scio eum;* Atqui videre Patrem, et scire Patrem, non est aliud, quam eum clare, et intuitive cognoscere; hoc est beatificam visionem habere; Ergo etc. Quare S. Fulgentius (1) « Quam » perdurum est, inquit, et Sanctitati fidei alienum, » ut dicamus; animam Christi non plenam Divinitatis suae habere notitiam, cum qua creditur unicam habere personam . . . Non enim existimo illi » animae in aliquo plenae Divinitatis deesse notitiam, » cujus una est persona cum Verbo . . . Sicut ergo

(1) Resp. ad q. 3. Ferdinandi Diaconi.

» Christus singulariter habet ut sit Deus verus, sic » totam Divinitatem suam singulariter novit, et ple» nam habet notitiam Divinitatis suae, secundum » animam » (1).

§. 472. R. ad 2. Christus erat simul viator, et comprehensor, viator secundum partem inferiorem animae, quae passibilis erat, et doloribus obnoxia, comprehensor vero secundum partem superiorem animae, quae visione beatifica fruebatur

Quaeres. *Qua ratione Christus dicatur pro nobis factus peccatum?*

§. 473. R. cum S. Thoma (2), quod triplici modo Christus dicitur factus pro nobis peccatum. « Uno modo quia consuetudo Veteris Legis est, ut » sacrificium pro peccato peccatum nominetur. Osææ » 4. *Peccata populi mei comedent*; idest oblata pro » peccato (3). Tunc est sensus: Fecit peccatum, i» dest hostiam, vel sacrificium pro peccato. Alio mo» do, quia peccatum aliquando sumitur pro simili» tudine peccati, vel pœna peccati. Roman. VIII. » *Misit Deus filium suum in similitudinem peccati* » *etc.*, idest de similitudine peccati damnavit pecca» tum. Et tunc est sensus. Fecit peccatum, idest fe» cit eum assumere carnem mortalem, et passibilem. » Tertio modo, quia aliquando dicitur hoc esse hoc, » vel illud, non quia sit, sed quia opinantur ho» mines ita esse. Et tunc est sensus. Fecit peccatum, » idest fecit eum reputari peccatorem. Isaiae 53. » *Cum iniquis reputatus est* ».

---

(1) Consul. Ex-Charmes Tomo III. Dissert. VII. Cap. I. C. 2. Dupasquier Tomo VI. Disp. VI. q. 2. Frassen in III. Sent. Disp. II. art. 2. Sect. 3. q. 2. Tournely Tomo IV. q. XI. art. 2. aliique de scientia Christi tractantes.

(2) In Cap. VI. Epist. II. ad Cor.

(3) Vid. S. Augustin. Lib. II. contra Maximin. cap. 2.

CAPUT VI.

De veritate unionis hypostaticæ naturæ Divinæ, et humanæ in una Christi Domini persona.

§. 474. *Animad.* Nestorius e Syria oriundus, primum Monachus, postea presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, deinceps Episcopus Constantinopolitanus, docuit duas esse in Christo personas, Divinam nempe unam, secundum quam filius Dei dicebatur, humanam alteram, secundum quam dicebatur filius hominis, natus, passus, mortuus, et sepultus. Nestorii propterea judicio, et confessione, Christus non est Deus, sed purus homo ex Maria Virgine natus, quam propterea non Deiparam, sed Christiferam appellabat. Hunc hæresiarcam sequuti fuerunt Anastasius Presbyter, Dorotheus, et non pauci. Nestoriano errori alium plane oppositum conflavit Eutyches Presbyter, et Præfectus celeberrimi Monasterii Constantinopolitani, dicens, post unionem, seu Incarnationem, sicuti unam personam, ita et unam fuisse in Christo naturam. Verum hos, aliosque hujus furfuris homines, detestantes Catholici, sequentes tuentur propositiones.

PROPOSITIO I.

In Christo una est persona, et Christus unus est.

§. 475. *Prob.* ex Scripturis. *Verbum caro factum est*, ait S. Joannes (Cap. I. v. 16.); Ad Philippensens scribens Apostolus, de Christo inquit (Cap. II. v. 6.): *Qui cum in forma Dei esset: . . . humiliavit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*; et ad Galatas (Cap. IV. v. 4.): *Misit Deus*, scribit, *filium suum fa-*

ctum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret. Ex quibus sic: Si Verbum caro factum est, si factum est in similitudinem hominum, si factum ex muliere; proculdubio Divina et humana natura vere, physice, et personaliter in Christo fuerunt unitae; adeoque in Christo non sunt duae, sed una persona. Praeterea idem Christus qui dicitur in Scripturis factus ex muliere, nobis natus, passus etc., dicitur ab Apostolo (Rom. Cap. IX. v. 5.): *Super omnia Deus benedictus in saecula;* et ipse sibi tribuit, quæ Divinitatis propria sunt: Hinc ait (Apud Joann. Cap. X. 30.): *Ego et Pater unum sumus* (Ibid. Cap. XVI. v. 28.): *Exivi a Patre, et veni in Mundum* (Ibid. Cap. III. v. 13.): *Nemo ascendit in Caelum, nisi qui descendit de Caelo filius hominis qui est in Caelo.* Si ergo Christus Deus homo, est unum cum Patre; si filius hominis e Cælo descendit, et est in Cælo, profecto una persona est, unus Christus. *Est ergo fides recta* (Symb. S. Ath.), *ut credamus et confiteamur quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et Homo est . . . qui tamen, licet Deus sit et homo, non duo tamen; sed unus est Christus . . . unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personae.* (1).

---

(1) Quae contra hanc Thesim objici possent leg. apud Antoinè Theolog. Dogmat. Tomo I. Tract. de Incarnat. Cap. II. Art. VII. Tournely de Incarn. Tomo IV. q. VII. art. 1. pag. 237. aliosque.

PROPOSITIO II.

In Christo duæ fuerunt inconfusæ, impermixtae, atque distinctae naturae; Divina nempe, et humana.

§. 476. *Prob.* Christus est verus Deus; *Ego enim*, ait ipsemet (Joan. Cap. X. v. 20.) *et Pater unum sumus* (Ibid. Cap. XVI. v. 28.): *Exivi a Patre et veni in Mundum* (Ibid. Cap. XIV. v. 1. 10. 11.): *Ego in Patre, et Pater in me est* (Ib. v. 9.); *Qui videt me, videt et Patrem meum.* Christus est verus homo: *Pater*; inquit (Ib. v. 18.), *major me est* (Lucae Cap. XXII. v. 42.): *Pater, non mea voluntas sed tua fiat* (Matth. Cap. II. v. 16.). *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata etc.* Atqui verus Deus, et homo non esset Christus, si in eo post unionem hypostaticam non fuissent duae distinctae naturae, inconfusæ, et impermixtæ; Ergo etc. Hinc merito Patres Constantinopolitanae Synodi anni 449. hanc Fidei confessionem emiserunt: *Confitemur ex duabus naturis Christum esse post Incarnationem in una substantia, et in una persona, unum Christum filium, unum Dominum confitentes.* Quam ipsam confirmarunt Patres alterius Synodi Constantinopolitanæ anni 450. dicentes: *Catholica fides et ante Incarnationem unam tantum Verbi fuisse, et post Incarnationem duas, idest Verbi et perfecti hominis, fatetur in una persona, inconfusa proprietate sui manere naturas.*

§. 477. Dices 1. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. Cap. I. v. 14.); Ergo Verbum in carnem mutatum fuit; adeoque non fuerunt in Christo duae naturae distinctæ.

§. 478. R. Verbum quidem caro factum est, at *non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum* (In Symb. S. Athan.).

« Nam cum ita loquitur (S. Joannes), scribit S. » Epiphanius (Haeresi 77.): *Verbum caro factum » est*, non illud indicat, Verbum in carnem fuisse » conversum, aut in eam omnino transiisse, sive Di» vinitatem in carnem esse mutatam: verum cum » Divinitate Verbum propriam hominis assumpsisse » naturam ».

§. 479. Dices 2. Nonnulli Patres de Incarnationis mysterio loquentes, mixtionem, seu permixtionem illud appellant; Ergo vere in eo duae naturae fuerunt confusæ, et permixtae; et consequenter etc.

§. 480. R. Nomine mixtionis, et permixtionis in explicando Incarnationis mysterio non utuntur Patres ad significandam naturarum confusionem, sed intimam naturae humanae, et Divinae unionem in una Verbi persona. « Nam sicut in unitate personae (Ait » S. Augustinus Epist. 137.) anima unitur corpori » ut homo sit; ita in unitate personae Deus unitur » homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mix» tura est animae, et corporis: in hac persona mix» tura est Dei et hominis: si tamen recedat auditor » a consuetudine corporum, qua solent duos liquo» res ita commisceri, ut neuter servet integritatem » suam, quamquam et in ipsis corporibus aeri lux incorrumpta misceatur » (1).

(1) Leg. Antoinè Tract. ut supra Cap. II. art. 8. Tournely Tomo ut supra q. 7. pag. 261.

PROPOSITIO III.

Virgo Maria recte dicitur et est Deipara, hoc est Mater Dei.

§. 481. Prob. Virgo Maria concepit et peperit Jesum Christum Emmanuelem, Sanctum, Altissimi filium; dixit enim ei Angelus (Lucae Cap. I. v. 31. 35.): *Ecce concipies in utero, et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum . . . quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*; Atqui Christus est perfectus Deus, et perfectus homo (§. 475.); et duabus constans naturis, Divina scilicet et humana absque ulla permixtione, aut confusione, una est persona, unus Christus est (§. 476.); Ergo etc. Hinc « illi qui sacram Virginem, Deiparam esse, imperite » negant, ait S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. de re» cta fide ad Reginas n. 6.), huc necessario adigun» tur, ut duos Dei filios constituant. Nam si sacra » Virgo Verbum incarnatum secundum carnem non » peperit, vel inviti concedant oportet, hominem tan» tum vulgarem, nobisque nihilo excellentiorem in » lucem edidisse. Igitur si eum, qui ex sacra Vir» gine prodiit, hoc est Dei patris Verbum carni se» cundum naturam unitum verum Deum esse agno» scunt, cur eamdem Virginem esse Deiparam fateri » verentur »?

Hæreticorum objecta solvuntur.

§. 482. *Objic*: 1. Si Virgo Maria foret Mater Dei, id ex Scripturis constaret; Atqui non constat; Ergo falsa propositio.

§. 483. R. dist: min: Non constat verbis expressis, conc:, verbis æquivalentibus, n: min: cum consa. Esto in Sacris Scripturis, verbis expressis Maria Virgo non dicatur Deipara, hoc est Mater Dei

ex verbis tamen æquivalentibus hujusmodi veritas satis evincitur. Et sane; nonne in Scriptura expresse dicitur quod Maria Verbum genuerit incarnatum, quodque novem transactis mensibus peperit filium suum primogenitum? Ergo si vera Mater est, et dicitur alicujus illa mulier, quae illum concepit, et edit in lucem, vera Deipara, hoc est Mater Dei dicenda est Maria, quæ Verbum incarnatum concepit, atque peperit; adeoque etc.

§. 484. *Contra.* Atqui licet ex Scripturis constet, Mariam concepisse, et peperisse Christum, adhuc Maria nequit appellari Deipara; Ergo n. r. Prob: subsm. Virgo Maria genuit Christi humanitatem, non Divinitatem; Ergo non Mater Dei sed hominis dici debet.

§. 485. R. dist. ans. Virgo etc., humanitatem quae tamen erat hypostatice unita Verbo, subsistebat subsistentia Verbi, et cum Verbo una persona Verbi erat, conc., secus n. ans., et consm. Esto Maria non genuerit secundum se Verbum, quia tamen ipsum genuit incarnatum, et Deum hominem; ejus vera mater dicitur, et est. *Sicut enim*, optime Doctor Subtilis (In Ill. Sent. Dist. IV. §. 2.) *vere Deus ex ipsa genitus est, ita et ipsa vere genitrix Dei dicitur. Deum enim dicimus ex ipsa genitum esse, non ut Deitate Verbi principium essendi accipiente ex ipsa incarnato et genito. Non enim hominem nudum genuit B: Virgo, sed Deum verum, non nudum; sed incarnatum.*

§. 486. *Contra.* Atqui, non obstante, quod Maria genuerit humanitatem Verbo hypostatice unitam, Deipara dici nequit; Ergo n. r. Prob. subsm. Nulla mulier dicitur mater animae Filii sui, licet anima sit pars hominis nobilior, et mulier corpus concipiat, quod animæ intime socictur; Ergo a pari, Virgo Maria nequit dici Mater Dei, licet Verbum sit infinite nobilius humanitate, quam genuit, et cui humanitas, hypo-

statice copulata sit; ex quo unus est Christus; adeoque ad summum Christipara, non Deipara dici potest.

§. 487. R. n. consm., et paritatem. Ideo enim mulier filium concipiendo dicitur mater hominis individui, Petri nempe, et non mater animæ, quia anima non est suppositum, nec persona, sed est substantia incompleta ad constituendum simul cum corpore hominem, seu personam hominis destinata. Non sic autem B. Virgo Maria. Nam Verbum Divinum est persona, et humanitas ex Virgine Maria a Verbo assumpta expoliata est propria subsistentia, et non subsistit, nisi subsistentia Verbi, alias duæ essent in Christo personæ; Quare Jesum Christum unum dicimus credere, et confiteri *non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unum omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Cum ergo Virgo Maria Verbum genuerit incarnatum, et Verbum istud manserit quod erat, licet quod non erat assumpserit, proculdubio Mater Dei dici potest et debet (1). Christiparam vero non dubitamus appellare quoque Virginem Mariam, at non in sensu Hæreticorum, quasi duæ essent in Christo personae, humana una, divina altera, et Maria genuerit personam humanam; sed quia genuit Verbum caro factum, quod Verbum incarnatum dicitur Christus, et eum in lucem edidit. Unde Angelus pastoribus Verbi Incarnati nativitatem nuntians, dixit (Lucæ Cap. II. v. 11. 12.): *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus,* etc.

§. 488. *Objic*: 2. Si Maria Virgo fuisset vera Mater Christi Verbi incarnati, atque hinc Deipara, Christus ut talem eam recognovisset; Atqui ut talem non

(1) Leg. Boucat Tomo V. Disput. III. Art. 4. Sec. 1. L'Herminier Tomo III. pag. 75. Dupasquier Tomo VI. Disp. XI. q. 5. Concl. 2. Berti Lib. XII.

cognovit; imo Matrem suam eam esse palam negavit; Ergo etc: Prob: min. Apud Matthæum (Cap. XII. v. 46.) cum ei relatum fuisset, quod Mater sua cum fratribus quærebat eum, respondit: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei.* Ergo etc.

§. 489. R. atque dicimus, Dominum non negare sibi Matrem, et fratres, idest consanguineos revera esse, sed voluisse falsam dumtaxat Iudæorum corrigere opinionem, existimantium illum, cæterorum more hominum, ex matre esse genitum et ex Patre. Nonne illum Iudaei putabant esse purum hominem, filium S. Iosephi, et BB. Deiparæ? Certe. Patet id ex Cap: 18. S. Matth: Deinde vult verbis illis innuere, longe anteponendos esse parentibus carnalibus fratres, ac Genitricem spiritualem, quales profecto sunt, qui legem Dei servant; et potiori in loco apud se haberi hos quam illos. Ea propter ibidem v. 49. extendens manus in discipulos suos dicebat: *Ecce Mater mea, et fratres mei: Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, hic meus frater, et soror, et mater.*

§. 490. *Contra.* Atqui Christus se veram matrem non habere Mariam palam ostendit; Ergo n. r. In Nuptiis Canæ Galileæ, cum defecisset vinum, Maria ibi praesens dixit Jesu: *Vinum non habent* (Joan. Cap: II. v. 3. et seq.:); Dixit ei Jesus: *Quid mihi et tibi est mulier?* Ergo etc.

§. 491. R. Quod Jesus appellaverit Matrem suam mulieris nomine, adversariis non prodest. Sic enim illam appellando, non negavit BB. Deiparam Mariam Matrem ejus fuisse: sed loquutus est apposite ad temporis circumstantias, et miraculi patrandi, de æqua scilicet in vinum convertenda. Egit enim ibi Dominus Jesus, ut Deus; et ut Deus est, nullam ha-

Let Matrem, atque in miraculo illo faciendo nihil sibi, et Genitrici commune erat: quandoquidem potestatem faciendi miracula a Patre jam acceperat ab æterno per sempiternam generationem. Ad rem scribebat Magnus Pr. Augustinus (lib: de fide, et Symbolo cap: 9.) responsionem firmans nostram. « Nec » nos ad negandum Christi Matrem cogit, quod ab » eo dictum est: quid mihi, et tibi est mulier; sed » admonet potius, ut intelligamus secundum Deum » non eum habere Matrem, cujus majestatis perso- » nam parabat ostendere, aquam in vinum vertendo. » Hæc ille, et nos cum eo.

§. 492. *Contra.* Atqui satis evidenter ostendit Christus, Mariam suam veram Matrem non esse; Ergo n. r. Prob: Si ita non esset, saltem aliquando Mariam vocabulo suæ matris honorasset; Atqui hoc non fecit; Ergo etc.

§. 493. R. Quamvis Dominus numquam conceptis verbis Matrem suam appellaverit BB. Virginem Mariam (ne forte, ut ait S. Epiphanius hæresi 79. aliquibus errandi daret occasionem), protulit tamen momenta talia, quibus non obscure declaravit Maternitatis illius dignitatem: enim vero non raro appellavit semetipsum filium hominis: et cum talis sit, necessum est, eum habere Matrem, ex qua genitus sit, et natus. Aliunde autem S. Joannes clarissime Immaculatam Deiparam Virginem appellat Matrem Christi. Ita Cap: 19. Evangelii sui scribit: « *Sta-* » *bant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror ma-* » *tris ejus. . . . . Cum vidisset Jesus Matrem, et discipulum stantem, dixit Matri suæ: mulier ecce filius tuus* tuus etc. Ex silentio ergo Scripturarum nec nihilum quidem lucrantur Phantastatæ: adeoque etc.

Quæres. *Utrum humanitas Christi, Verbo hypostatice unita, sit ubique?*

§. 494. R. Neg. adversus Lutheranos. Nam Christus dicitur natus in Bethlehem, ductus in Templum

Jerosolymitanum, et in Ægyptum, reductus Nazareth. Ergo ejus humanitas non erat ubique. Deinde Christus ipse mirifice hanc confirmat veritatem cum dixit discipulis suis (Joann. Cap. VI. v. 15.): *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos; ut credatis, quoniam non eram ibi* (Matth. Cap. XXVI. v. 11.): *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis* (Joann. Cap. XVI. v. 28.): *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem;* quibus, aliisque testimoniis ostendit, se non esse ubique quoad suam humanitatem, sed modo in uno, modo in alio loco. Ergo etc. (1).

CAPUT IX.

De communicatione Idiomatum.

§. 495. *Def. Idioma* idem est ac *proprietas, nomen, attributum. Comunicatio* itaque *Idiomatum nihil aliud hic est, quam mutua, atque reciproca nominum, attributorum, et proprietatum utriusquè naturæ divinæ et humanæ in Christo prædicatio in concreto, et ratione unius Christi personæ.*

§. 496. *Animad.* Vocantur autem nomina, et attributa *in abstracto* si formam significant, vel proprietatem a subjecto separatam; veluti *divinitas, Humanitas*; *in concreto* autem si formam simul et subjectum exprimunt; ut *Deus homo. Deus*, hoc est habens divinitatem; *homo*, hoc est habens humanitatem.

§. 497. *Schol.* Nestoriani negantes duarum natu-

---

(1) Quae hic opponi possent vide apud Tournely de Incarnat. q. IX. art. 2. pag. 311. l' Herminier Tract. eod. pag. 90. Berti Lib. XXIII. Cap. I. prop. 3. Juenin. Parte IV. Dissert. V. art. 2. pag. 210.

rarum hypostaticam unionem in Christo, negarunt consequenter Idiomatum communicationem. Lutherani e contra, non solum Idiomatum communicationem *in concreto*, sed etiam *in abstracto* admiserunt. Quid catholice sensiendum, mox patebit.

PROPOSITIO I.

Admittenda est in Christo Idiomatum communicatio.

§. 498. Prob. Idiomatum communicatio est in Christo admittenda si proprietates quae de ipso prædicantur ut Deo, praedicantur quoque de ipso ut homine, et vicissim; Atqui ita se res habet; Ergo etc. Prob. min. Descendere de Cælo, in Cælum ascendere, esse in Cælo dum est in terra, Dei utique proprietates sunt; sed hæc Christo, ut homini etiam adscribuntur; ait siquidem Christus ipse (Joann. Cap. III. v. 13.): *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo filius hominis qui est in Cælo*; Ergo etc. Deinde adquirere Ecclesiam sanguine suo, dare animam suam pro hominibus etc., Jesu Christo ut homini conveniunt; sanguinem enim nonnisi homo fundere potest; animam, seu vitam temporalem nonnisi homo ponere potest; Atqui hæc Deo tribuuntur; ait namque Apostolus (Actorum Cap. XX. v. 28.): *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; et Evangelista Joannes (Epist. I. Cap. III. v. 16.): *In hoc cognovimus*, ait, *charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit*; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Idiomatum communicatio non in abstracto, *sed tantum in* concreto *admittenda est in Christo.*

§. 499. *Prob.* Nam in Christo ideo quæ Dei sunt homini tribuuntur, et vicissim, quia duæ naturae divina et humana hypostatice unitae sunt in uno supposito, seu Verbi persona, hinc recte dicitur: *Deus est homo*, *homo est Deus*, *Christus est homo*, *Christus est Deus*, *Deus est mortalis*, *homo est immortalis*, *Deus natus est*, *passus*, *et mortuus* etc., quia una, et eadem est persona Christi, qui simul constat natura divina et humana; haud tamen recte dicitur *Divinitas est humanitas*, *divinitas est mortalis*, *humanitas est immortalis etc.* Etenim cum duæ naturæ, Divina nempe et humana post unionem impermixtae in Christo, et inconfusæ permanserint cum suis attributis et proprietatibus (§. 476.), nequit una propterea alteri, quae propria sunt communicare, nisi in aliquo communi subjecto uniantur; quare si in abstracto considerantur, quae unius sunt, de altera nequeunt prædicari; longe namque ab invicem distant Divinitatis proprietatates a proprietatibus humanitatis (1).

CAPUT X.

De Christi libertate, et merito.

§. 500. Loquimur de libertate arbitrii; seu *a necessitate* (§. 205. T. III.), quae in perfecta indifferentia ad agendum, consistit, unde et libertas *indifferen-*

(1) Vid. Tournely de Incarn. qu. IV. art. 2. aliosq. ut supra.

tiæ solet appellari. Jesum Christum hac libertate fuisse præditum, omnes fere consentiunt; at quomodo haec libertas in Christo conciliari potuerit cum ejus impeccabilitate, meo judicio imperceptibile est; Sane si Christus liber fuit libertate indifferentiae; poterat aliquod Dei mandatum non implere; poterat namque pro lubitu agere vel non agere; sed non implere Dei præceptum est peccare; Ergo si poterat Dei praeceptum Christus non implere, poterat peccare; Atqui Christus fuit omnino impeccabilis (§. 470.). Ergo etc. (1), Verum haec profundioribus, atque eruditioribus Theologis evolvenda remittimus, et tantum, quae scitu necessaria sunt, hinc exponemus.

PROPOSITIO I.

Christus fuit liber ad merendum, et subeundam mortem.

§. 501. Prob. 1. Nam Isaias de Christi passione et morte loquens, ait (Cap. VIII. v. 7.): *Oblatus est, quia ipse voluit;* Et Christus de seipso inquit (Joan. Cap. X. 17. 18.): *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego ponam eam a meipso.* Si ergo Christus sponte se obtulit; si potestatem habebat ponendi, et non ponendi animam suam, hoc est vitam, profecto fuit liber.

§. 502. Prob. 2. ex Patribus. S. Augustinus (Lib. IV. de Trinit. Cap. 13.). « Qui (hoc est

---

(1) Vide quae pro concilianda Christi impeccabilitate cum ejus libertate dixerint Theologi apud Franciscum Henno de Incarnat. Disp. IX. p. IV. Concl. 3. Tournely q. XI. Art. IV. de Christi libertate pag. 566. Juenin Parte IV. Dissert. VI. q. 5. Cap. I.

» Christus Dominus), posset, *inquit*, non mori si » nollet, proculdubio, quia voluit mortuus est » Et alibi (Lib. de Prædest. Sanct.) : « An ideo in illo » non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, » quanto magis peccato servire non poterat (Tract. » 37. in Joan.) ? voluit inter homines vixit; quando » voluit a carne discessit. Hoc est potestatis, non » necessitas. « S. Leo Papa (Serm. 17. de Passion.) » : » Tradi Dominum passioni, *ait*, tam fuit paternæ, » quam ipsius voluntatis; ut enim non solum Pater » relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione de- » sereret, non trepida discessione, sed voluntaria » cessione ». Idipsum fere omnes Patres testantur; Ergo etc. (1).

PROPOSITIO II.

Christus vere, et proprie meruit de condigno.

§. 503. Prob. In Christo omnes conditiones ad meritum de condigno reperiuntur; Ergo etc. Prob. antec, quoad singulas ejus partes. Primo namque ad meritum ex parte merentis requiritur status viae, et gratiae (§. 222.); Atqui hic status fuit in Christo; quippe *Verbum caro factum est* (Idem Cap. I. v. 14.), *et habitavit in nobis*, *et vidimus gloriam ejus*, *quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ*, *et veritatis*; Ergo etc. Secundo ex parte actus requiritur 1. ut actus sit liber, 2. bonus, et 3. auxilio gratiæ factus (§. 223.); Atqui tales fuerunt Christi actus, et *liberi* quidem (§. 501.), 2. *boni*; Christus namque

(1) Qui plura de hac materia legere cupit adeat supra laud. Auct. sicut etiam Antoinè de Incarnatione Cap. VI. art. 4. Dupasquier Tom: VI. Tract. XI. Disp. VII.

fuit impeccabilis (§. 470.), et scivit semper *reprobare malum et eligere bonum* (Isaiae Cap. VII. v. 16.); et *de auxilio gratiæ eliciti*, quippe ab eo eliciti qui non solum erat omni gratia plenus, sed et et ipse gratiae auctor, fons, et largitor; Ergo etc. Tertio ex parte præmiantis requiritur promissio, et pactum de dando præmio (§. 220.); Atqui haec promissio ex parte Dei Patris fuit in Christo: Legitur quippe de eo apud Isaiam (Cap. LIII. v. 10.): *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum*. Ergo etc. Adeoque etc.

PROPOSITIO III.

Christus meruit non per actus Divinitatis, sed per actus liberos humanitatis.

§. 504. Prob. Divinitas nullum habet superiorem, et Christus ut Deus aequalis est Patri; unde ait (Joan. Cap. X. v. 20.): *Ego et Pater unum sumus*; Atqui ratio meriti dicit subjectionem praemiati ad praemiantem; Ergo non per actus Divinitatis; sed humanitatis, qua minor est Patre, Christus meruit.

PROPOSITIO IV.

Christus a primo conceptionis suæ instanti, usque ad mortem meruit, et non amplius.

§. 505. Prob. 1. pars. Christus Dominus, scribit Apostolus ad Hebraeos (Cap. X. v. 5.): *Ingrediens Mundum dicit, hostiam, et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi . . . . tunc dixi ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ab istanti ergo conceptionis, in quo Mundum ingressus est Christus, obtulit se Deo Patri hostiam pro humani

generis redemptione; Atqui haec oblatio fuit proculdubio meritoria; Ergo etc.

§. 506. Prob. 2. pars. Inter alias conditiones ad merendum requiritur status viatoris (§. 222.). Unde Christus ipse ajebat (Joan. Cap. IX. v. 11.): *Me oportet operari opera ejus* (idest Patris), *qui misit me, donec dies est* (hoc est dum sum in statu praesentis vitae mortalis), *venit nox* (nempe tempus mortis), *quando nemo potest operari*; Atqui Christus post mortem non fuit amplius viator; Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Christus sibi meruit gloriam corporis, et Nominis exaltationem, Resurrectionem, et in Cælis Ascensionem.

§. 507. Prob. Nam 1. meruit sibi gloriam corporis: *Nonne*, inquit ipsemet discipulis suis apud S. Lucam (Cap. XXIV. v. 20.), *hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*? Et Paulus ad Hebraeos (Cap. II. v. 9.): *Videmus*, ait, *Jesum, propter passionem, gloria et honore coronatum*; 2. meruit nominis exaltationem. Ipse namque, scribit idem Apostolus (Ad Philipp. Cap. II. v. 7.): *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*: 3. meruit sui corporis resurrectionem; etenim in Christi persona loquens Psalmista (Psal. III. v. 6.) ait: *Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me*. Et sane: « justum erat, scribit S. Augustinus (Supradicta verba exponens.), ut innocentem occisum, et cui tributa sunt mala pro bonis, resuscitaret a mortuis. » 4. meruit in Caelum ascensionem; Nam *ascendens Christus in altum*, ait Apostolus ad Ephesios (Cap.

IV. v. 8. 9.), *captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes Cœlos.*

PROPOSITIO VI.

Christus nobis salutem æternam meruit, et omnia ea dona et media, quæ ad eam consequendam sunt necessaria.

§. 508. Prob. Apostolus ad Hebraeos de Christo scribens, ait (Cap. V. v. 7.): *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia . . . Et consummatus factus est omnibus causa salutis æternæ*; et ad Ephesios (Cap. I. v. 3.): *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo Jesu:* et ad Thimotheum (Epist. II. Cap. I. v. 9.): *Nos liberavit; et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quæ data est nobis.* Hinc Tridentina Synodus (Sess. VI. Cap. III.) ait: *Sicut revera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur; cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.*

PROPOSITIO VII.

Christi meritum fuit infinitum.

§. 509. Prob. Apostolus ad Romanos ita loquitur (Cap. V. v. 15.): *Sed non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*; et (ib. v. 20.): *ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia*; Et ad Corinthios (Epist. I. Cap. VI. v. 20.): *Empti estis, pretio magno*. Hinc S. Joannes Chrysostomus: *multo plura*, inquit (Hom. X. in Epist. ad Roman.), *quam debebamus pro nobis solvit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam excedit Pelagus immensum*; Ex quibus sic: Mortale peccatum habet malitiam infinitam; Sed merito Christi data est pro peccato, non solum condigna, satisfactio, sed superabundans; Ergo etc (1).

---

(1) At quid sentiendum de quaestione inter Thomistas, et Scotistas agitata: An, scilicet Christi meritum fuerit intrinsece infinitum, ut volunt illi, aut extrinsece tantum, ut isti contendunt? Fateor eam esse satis implexam, nec proinde paucis posse resolvi. Quare ne brevitate, tenebras Theologiae tyronibus offundamus, atque aequivocandi occasionem præbeamus; neve prolixitate, brevitatis limites excedamus, ab ea evolvenda abstinemus. Cum enim per otium licebit, legi poterunt utriusque Scholae Theologi, praesertim pro Thomistis Antoinè Tomo I. De Incarn. Cap. VI. Art. V. Tournely Tomo IV. Art. III. pag. 197. et seq. Pro Scotistis vero Frassen Tomo VIII. Tract. I. Disp. III. q V. Dupasquier ut supra Disp. IV. q. III.

CAPUT XI.

De Christi morte, ac satisfactione.

§. 510. Cum Christi meritum fuerit infinitum, et superabundans (§. 509.), nulli dubium esse poterit, quin valuerit ad omnes omnino homines salvandos. Difficultas non levis est, an Christus revera habuerit intentionem, et voluntatem, meritum mortis suae in hominum omnium redemptionem, et peccatorum satisfactionem applicandi Praedestinatiani, Christum pro solis Electis, et prædestinatis mortuum esse dicebant. Idipsum senserunt Calvinus, Theodorus Beza, et Jansenius, qui postremus asserere non dubitavit (1): *Pelagianum esse dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Sociniani, Christum quidem pro hominibus satisfecisse concedunt, at metaphorice tantum, et non vere, quatenus scilicet, hominibus patientiae, atque obedientiae praebuerit exempla. Catholici vero Theologi contendunt, Christum vere et proprie pro omnibus hominibus Deo Patri satisfecisse; in hoc vero dissentiunt, quod aliqui volunt, Christi satisfactionem fuisse ex toto rigore justitiae, alii vero non. His expositis sit.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus pro omnibus omnino, et singulis hominibus mortuus est.

§. 511. Prob. 1. ex Scripturis. Paulus ad Hebraeos scribens haec habet (Cap. II. v. 9.): *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, et ho-*

(1) Prop. V. inter damnatas. Vid. script: de grat:

nore coronatum : ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem ; Et ad Corinthios (Epist. II. Cap. V. v. 14. 15.) : *Charitas Christi urget nos*, ait, *existimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est ; ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Nec non ad Timotheum verba faciens : *Speramus*, ait, *in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Quid clarius ? Ergo etc.

§. 512. Prob. 2. hac ratione. Deus vult omnes homines salvos fieri (§. 189.) et ita omnium hominum saluti consuluit, ut omnibus media necessaria paraverit ad æternæ solutis consequutionem (§. 249.) ; Atqui Christi mors erat medium potissimum et unicum a Deo statutum ad homines salvandos ; *Non est enim in alio aliquo salus*, ait S. Petrus (Actorum Cap. IV. v. 12.) ; *Nec aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* ; Ergo Christus etc.

Objectiones Hæreticorum solvuntur.

§. 513. *Objic.* 1. Sacrae Literae pluribus in locis aperte demonstrant, Christum non pro omnibus, et singulis hominibus, sed pro multis mortem subiisse; Ergo falsa propositio Prob. ans. Isaias de Christo loquens, ait (Cap. III. v. 11.) : *Justificabit justus servus meus multos.* Imo Christus ipse inquit, apud Matthaeum (Cap. XX. v. 28.) : *Venit filius hominis . . . . dare animam suam pro multis.* Hinc de sanguine, quem erat effusurus in passione loquens, dixit (Ibidem Cap. XXVI. v. 28.) : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ;* Ergo etc.

§. 514. R. admitt. Auctoritates in sensu explicando, neg. consm. In adductis Sacrae Scripturæ locis per *multos* ; intelliguntur *omnes.* Hinc Paulus qui

de Adae peccato loquens dixerat (Ad Rom. Cap. V. v. 15.) : *Unius delicto multi mortui sunt*; paulo post, inquit (Ibid. v. 16.) : *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*; et idem qui de Christi redemptione loquens, dixerat (Ibid. v. 15.) : *Gratia Dei, et donum in gratia unius Jesu Christi in plures abundavit*, postea dixit (Ibid. v. 18.) : *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; Adeoque ex adductis testimoniis nihil contra nostram thesim concluditur.

§. 515. *Contra*. Atqui laudatis in locis per *multos*, non intelliguntur *omnes*; Ergo n. r. Prob. subsm. Si ibi per multos intelligerentur *omnes*, sicuti vera est haec Apostoli propositio (Ibid.) : *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, quia revera omnes in Adam peccaverunt, ita vera esset haec alia ejusdem Apostoli eodem in loco : *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; adeoque omnes omnino homines justificari deberent, et vitam consequi aeternam; Atqui non omnes vitam consequuntur aeternam; Ergo etc.

§. 516. R. Sicuti Deus, licet velit omnes homines salvos fieri, non tamen omnes de facto salvantur; quia non omnes divinae obtemperant voluntati, et per divinorum praeceptorum observantiam salvari volunt; ita licet Christus pro omnibus, quantum ex se fuit, mortuus sit; non tamen omnes mortis ejus fructum, justificationem nempe, et vitam aeternam experiuntur, quia ex parte propria nolunt implere quae ad talem fructum percipiendum, ex ipsiusmet Christi mandato, implenda supersunt. *Quantum in medico est*, verbis utor S. Augustini, *curare venit ægrotum ; ipse se interimit, qui praecepta medici observare non vult*. Quantum in Christo fuit, venit quaerere, et salvum facere quod perierat; et sicut omnes Adae veneno infectos invenit (dempta Virgine Deipara), et multis morbis sauciatos, ita

omnibus sanguine suo, et morte venit prodesse. At quid, si homines diligere volunt magis tenebras quam lucem? Quid, si homines ejus praecepta servare renuunt? Culpandus ne est divinus medicus, an potius homines? si ex sola Christi voluntaria passione, et morte; absque nostra vel minima cooperatione auxiliis gratiae, salus nostra obtineri posset; tunc qui non salvantur dicere possent, Christum pro ipsis mortuum non fuisse; At non est ita, quia Christo pro nobis operante, nos cooperari debemus. Non cooperamur; Christus ex se fecit quod faciendum erat, ut nos salvaremur; Nos non salvamur, quia cooperari nolumus. Verae itaque sunt ambae Divi Pauli propositiones in argumento adductae. Adeoque etc.

§. 517. *Contra*. Atqui licet verae sint ambæ superius expositae propositiones S. Pauli in sensu explicato, adhuc tamen certum est, in præsenti materia, per *multos* non intelligi *omnes*; Ergo n. r. Prob. sub. Christus de suo adventu in Mundum loquens, ait (Matt. Cap. XV. v. 24.): *Non sum missus, nisi ad oves quae perierant domus Israel;* Ergo non ad omnes omnino homines missus fuit; Adeoque etc.

§. 518. R. Si hoc argumentum valeret, dicere deberemus, 1. Christum pro solis Judaeis, et non pro aliis mortuum fuisse; 2. Solos Judaeos fuisse praedestinatos; atque 3. solos Judaeos fore infallibiliter salvandos. Et certe: si Christus pro solis praedestinatis, qui salvantur, ut dicunt adversarii, mortuus est, dicens Christus se fuisse missum Judaeis, soli Judaei fuissent praedestinati, ipsi soli salvandi; At quis unquam hoc somniare, ne dicam effutire præsumpsit, cum videamus omnibus Christi Evangelium praedicatum, gentiles innumeros ad Ecclesiae sinum fluxisse, in omni gente et populo Christi nomen invocatum; e contra, Judaeos in perfidiae supplicium reprobatos, atque hac illac, in varias terrae Regiones dispersos? Dicendum ergo est, alium sensum al-

lata Christi verba praeseferre, ab eo quem illis affigunt Haeretici. Significare nempe allata verba, Christum solis Judaeis personaliter fuisse missum; quod verum est. Adeoque nihil concludunt adversus nostram thesim.

§. 519. *Objic:* 2. Christus Dominus pro ovibus suis mortuus est; dixit enim (Ioan. X. v. 15.): *Pono animam meam pro ovibus meis;* Sed Christi oves sunt prædestinati; Ergo pro prædestinatis, et non pro aliis omnibus mortuus est; adeoque falsa propositio.

§. 520. R. dist: min; ad esclusionem aliorum n.; secus, conc: min:, et n. utramque consm. Laudatis verbis vult Christus Dominus hoc tantum innuere, solum pro electis efficienter mortem subiisse, quatenus nempe ipsis fructum et merita passionis, et mortis suæ applicantur ut reapse, et de facto salutem consequantur æternam, non vero vult ostendere se pro solis prædestinatis, omnibus aliis hominibus exclusis, mortuum fuisse. Si namque hoc non foret, quomodo verum esset illud Apostoli (I. Tim. II. 4.): Deus *omnes homines vult salvos fieri*? Quomodo verum esset illud Dei ipsius apud Osæam (Cap. XIII. 9.) *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum?* Omnes reprobi, reprobationis suæ positivae causam in Deum refunderent, dicentes: Ideo damnati sumus quia Christus pro nobis mortuus non est. Quod quam sit absurdum nemo non videt.

§. 521. *Contra.* Atqui Christus nec etiam sufficienter pro aliis mortuus est; Ergo n. r. Prob. subsm. Pro illis solis Christus mortuus est, pro quibus Patrem oravit, non vero pro illis, pro quibus orare recusavit; Atqui pro solis electis, non vero etiam reprobis, se Patrem rogare adseruit, dicens (Joann: Cap: XVII. v. 9.): *Non pro Mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*; Ergo etc.

§. 522. R. adm: maj; et dist: min:, tunc

temporis, conc: min:, alio tempore, n. min:, et consm. Non una vice sed pluries Christus Dominus Patrem suum oravit. Aliquando enim oravit pro se solo, voluti cum dixit (Joan: XVII.): *Et nunc clarifica me tu Pater.* Aliquando pro solo aliquo discipulo, veluti pro Petro, ut cum (Lucæ Cap: XXII.), dixit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Aliquando pro electis, ut in argumento. Aliquando etiam pro reprobis, veluti cum Cruci affixus (Lucæ Cap: XXIII.): *Pater*, dixit, *dimitte illis: quia nesciunt, quid faciunt.* Si ergo tunc temporis pro solis oravit electis, alio tempore pro reprobis quoque oravit, pro istis quidem sufficienter, efficienter autem pro illis. Adeoque etc.

§. 523. *Contra.* Atqui numquam pro reprobis; sed pro solis electis, atque praedestinatis Christus oravit; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus in suis orationibus, semper pro sua reverentia exauditus fuit (Ad Heb. IX.); Si ergo pro reprobis etiam orasset, exauditus utique fuisset; reprobi proinde salutem æternam fuissent consequuti; Atqui hoc est absurdum; Ergo etc.

§. 524. R. dist: 1. antec.: exauditus est eo modo, quo oravit, conc:, secus, n. ant: et quod inde infertur. Eo loci, in quo dicit Apostolus, Christum pro sua reverentia exauditum, non loquitur de Oratione a Christo facta pro reprobis, aut aliis, sed facta pro seipso: dicit enim: *Qui*, Christus, *in diebus carnis suæ obtulit supplicationes ad eum, qui possit illum salvum facere a morte*, et postea subjungit: *exauditus est pro sua reverentia* Sed dato etiam quod de oratione pro omnibus facta, ibi loqueretur, nihil adhuc nos movet. Nam Christus exauditus quidem est; sed eo modo, quo oravit. Siquidem Christus pro omnibus indiscriminatim hominibus oravit, ut ipsis non deesset medium, quo salvari possent; pro electis autem oravit specialiter, ut ipsis non deesset medium, quo

de facto salutem consequerentur. Exauditus est autem pro reverentia sua, quia omnibus hominibus Deus elargitur media, quibus salvari possint, et electis donat media, quibus de facto salvantur (1).

PROPOSITIO II.

Christus proprie redemit homines per satisfactionem, quae fuit ex vera justitia.

§. 525. Prob. Regius Psaltes ait (Psal. 129. v. 7.): *Copiosa apud eum redemptio; Prorsus copiosa*, sequitur S. Bernardus (Serm. XX. in Cant.), *quia non gutta sed unda sanguinis largitur per S. Corporis partes.* Apostolus ad Romanos scribens, inquit (Cap. III. v. 14.): *Justificati gratia ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quam proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* Et ad Ephesios (Cap. I. v. 7.): *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Ergo etc. (2).

Dices. Si Christus homines proprie redemit per satisfactionem, quae fuit ex vera justitia, nullam nos teneremus dare Deo satisfactionem pro peccatis nostris. Atqui tenemur; Ergo falsa propositio.

§. 526. R: Licet Christus, homines vere redemerit per satisfactionem quae fuit ex vera justitia,

---

(1) Pluribus argum. materiam hanc tract. Tournely Tomo I. q. XVII. Art. X. Concl. 3.

(2) Verum: fuerit ne ista Christi satisfactio ex toto rigore justitiae, ut volunt Thomistae, an vero non ut docent Scotistae, brevitatis praefixae ratio non sinit discutere. Consulantur, si placet, utriusque Scholae Theologi.

ut tamen haec satisfactio hominibus ad consequendam salutem aeternam prosit, necesse est, ut ipsis a Deo applicetur. Jam vero haec non applicatur, nisi iis, qui sunt Christi, et eo digni. At quinam sunt isti tales? Profecto qui tollunt crucem asperitatum, et tribulationum, et eum sequuntur: qui eo passo in carne, et ipsi eadem cogitatione armantur (Epist. I. Petri. Cap. IV. v. 1.): qui propterea castigant proprium corpus, et in servitutem redigunt. Si enim compatimur: ut et conglorificemur. Unde Apostolus ad Colossenses ait (Cap. I. v. 209.): *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea*, non quasi aliquid passioni Christi defuisset ad nostram redemptionem, cum eam jam superabundantem dixerit pro omnium salute, sed quia ex parte sua debebat ponere opera bona, et passiones ad Christi exemplum, et ut Christi membrum, et ipsius discipulus.

CAPUT XII.

In quo variæ quæstiones de Christo solvuntur.

Quaeres. 1. *An Christus dici possit Filius Dei adoptivus?*

§. 527. R. Negat: Nam Sacris in literis Christus Deus Homo semper dicitur Filius Dei. *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei* (Lucæ Cap. I. v. 36.): *Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. Cap. XVI. v. 16.): *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Roman. Cap. VIII. v. 32.). Unde in Symbolo Apostolorum nos credere profitemur *in unum Deum omnipotentem . . . . . . et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spirito Sancto etc.* Et sane, *Filius* est nomen personae non naturae; Atqui in Christo unica est Persona, Verbi nempe Divini (§. 475.), et ea Filius

Dei naturalis est; Ergo Christus dici debet Filius Dei naturalis, non adoptivus.

Quaeres. *An Christus fuerit Rex temporalis?*

§. 528. R. Licet Christus dicatur, et sit Regnorum omnium Dominus, Princeps Regum terrae, Rex Regum, et Dominus Dominantium; Regnum tamen nullum in hoc Mundo gubernavit. Hinc a Pilato interrogatus, an Rex esset, non negavit se Regem esse, dicens ei (Joann. Cap. XVIII. v. 37.): *Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in Mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Sed jam explicaverat (Ibid. v. 36.) se praefixum temporale Regnum, quod Regum aliorum more gubernaret, hic non habere. *Regnum*, namque *meum*, dixit, *non est de hoc Mundo: si ex Mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis.*

Quaeres. *An Christus fuerit Sacerdos?*

§. 529. R. aff. Nam quod olim praedixerat David, dicens (Cap. IV. v. 14.): *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, adimpletum in Christo fuit: *Habemus* enim, scribit Apostolus ad Hebraeos (Ibid. Cap. VI. v. 24.): *Pontificem magnum, Jesum, qui penetravit Cælos. Et alibi* (In Psal. 26.): *Christus sempiternum habet sacerdotium.* Unde Augustinus (1), Sacerdos, *ait* » *Christus*, quia pro nobis interpellat. Et quidem » solus ille sacerdos talis extitit, ut ipse esset etiam » sacrificium, obtulit Deo non aliud, quam seipsum ».

Quaeres. *An Christus fuerit speciosus forma?*

§. 530. R. aff., licet non desint, qui hoc negant. Nam de eo legitur (Psal. 44.): *Speciosus sus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in*

(1) Vide Dupasquier de Incarn. Disp. VIII. q. 2. aliosque.

labiis tuis. Hinc Joannes Chrysostomus (Hom. XXVII. in Matth.) : « Non enim, inquit, miracula dumtaxat faciens, admirabilis erat, sed etiam cum » simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratia. » Certe, ajebat S. Hieronymus (In Matth. Cap. » IX.), fulgor et majestas Divinitatis occultae, quae » etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se » videntes tahere poterat aspectu ».

Atque haec satis de Incarnationis mysterio Sacrae Thologiae tyronibus esse poterunt. Qui plura legere amabit, consulat Auctores passim a nobis citatos, vel meliores quos habere poterit.

FINIS TOMI IV.

TOMI IV. INDEX.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

TRACTATUS III.

ERRATA CORRECTA.

Pag. 8. v. 15. utique, *lege*, utique. *Pag.* 9. v. 4. moneumr, *lege*, monemur. *Pag.* 10. v. 11. *Anferam*, lege, *Auferam*. *Pag.* ib. v. 29. *Fastodiatis*, lege, *custodiatis*. *Pag.* 17 v. 17. Thcodorus, *lege*, Theodorus. *Pag.* 18. v. 1. sunt ritiata, *lege*, sunt vitiata. *Pag.* 23. v. 6. destitutus, *lege*, destitutos. *Pag.* 24. v. ult: motalis, *lege*, notatis. *Pag.* 27 v. 1. equentia, *lege*, sequentia. ib: v. 15. supreverint, *lege*, spreverint. *Pag.* 28. v. 6. horum, *lege*, harum. *Ibid.* v. 13. Atsi, *lege*, At si. *Ibid.* v. 22. scribiliter, *lege*, scibiliter. *Pag.* 30. v. 29. Conrinthios, *lege*, Corinthios. *Pag.* 32. v. 16. specialis, *lege*, speciali. *Pag.* 36. v. 12. *sum*, lege, *a Domino*. *Pag.* 39. v. 12. *sonforme*, lege, *conforme*. *Pag.* 41. v. 9. Prop:, *lege*, c. 2. Prop: *Pag.* 46. v. 7. co-, *deleatur*. *Pag.* 48. v. 10. senu, *lege*, sensu. *Ibid:* v. 33. nutrione, *lege*, nutritione. *Pag.* 49. v. 25. ambulatis, *lege*, Ambuletis. *Pag.* 50. v. 4. bent, *lege*, bet. *Pag.* 52. v. 22. *recedat*, lege, recedant. *Pag.* 54. v. 6. Cum dicit, *lege*, *Cum dicitur*. ib: v. 19. *citer*, *lege*, *cite*. *Pag.* 60. v. 18 statis, *lege*, satis. ib: v. 36 obtinnissent, *lege*, obtinuissent. *Pag.* 63. v. 16. *non*, lege, *nos*. *Pag.* 66. v. 23. cogregare, *lege*, congregare. *Pag.* 69. v. 28. *coegregat*, lege, *congregat*. *Pag.* 77. v. 5. ut D., *lege*, ut a D. *Pag.* 79 v. ult: que-, *lege*, quem-. *Pag.* 94. v. 21 Cap. III. v. 13. *lege*, Cap. XIII. v. 3. *Ib.* v. 26. expoliare se, *dele* se. *Pag.* 102. v. 1. *meum lege*, *meus*, 108. v. 18. Idolatriæ. *lege*, idololatriae. *P.* 110. v. 7. mortabilibus, *lege*, mortalibus. *Pag.* 111 v. 27. Daemonnm, *lege*, Daemonum. *Pag.* 113 v. 2. seusu, *lege*, sensu. *Ibid:* 6. *tjus* lege, *ejus*. *Pag:* 118 *v.* 19. aprobavit, *lege*, adprobavit. *Ibid.* v. *ult.* enim, *lege*, etiam. *Pag.* 121. *v.* 32. multoties, *lege*, multipliciter. *Pag.* 122 v. 34 opinionem, *lege*, doctrinam. *Pag.* 124. *v.* 14. *Omnino*, lege, *omnia* *Pag.* 137 *v.* 5. Genesi, *lege*, in Genesi. *Pag.* 140 *v.* 10 quoad, *lege*, quod. Pag. 141 *v.* 6. consequuntur, *lege*, consequantur. Pag. 147 v. 5. exercerant, *lege*, exerceant. Pag. 152 *v.* 20. cum cum, *dele alterum* cum. Pag. 158 *v.* 15 suerunt, *lege*, fuerunt, *similiter lege Ibid. v.* 18. Pag. 159 *v.* 25. tamsn, *lege*, tamen Pag. 164. *v.* 2. vetebantur, *lege*, vetabantur. *Ibid. v.* 8. Iaerosolemitano, *lege*, Ierosolymitano. Pag. 165. v. ultim: Indaeni, *lege*, Idumaei. Pag. 169. v. 3. nullum est, *lege*, nullum ergo est. *Ibid:* v. 18. extinxit, *lege*, extinxit; Ergo etc: *Ibid.* n. 17. quod, *lege*, quem: *Ibid:* v. 18. aggresti *lege*, aggressi. *Ibid.* v. 22. proprius

ege, propius. *Ibid*: v. 33. habuerit, *lege*, habuerint. *Ibid*: v. 34. usque remporis, *lege*, usqne id temporis. *Pag*. 170 v. 10. quace per tredecim tercentos, etamplius, *lege*, quae per tercentos et amplius *Ibid*; v. ult. partione, *lege*, partitione Pag. 171. *v*. 20. Sactum, *lege* Sanctum. Pag. 180 *v*. 11. Padre, *lege*, Patre. Pag. 181 v. 11. Ascendeus, *lege*, ascendens. *Pag*. 184. v. 22. sentendum, *lege*, sentiendum. *Pag*. 186. v. 6. Deis, *lege*, Dei. *Pag*. 188. *v*. 18 utriusquem, *lege*, utriusque. *Pag*. 190 v. 30. quaeunt, *lege*, quaerunt. *Pag*. 191 v. 13. 102. nobis, *lege*: Nobis. Pag. 192. *v*. 9. ho-mini, *lege*, humani. *Ibid*: *v*. 55. tua, *lege*, sua. Pag. 196. *v*. 14. (§. 81.), *lege* (81. T. III.). *Pag*. 227. v 32. cotrad., *lege*, contrad: Pag. 221. *v*. 7. voluntate, *lege*, voluntate. Pag. 230. *v*. 31. unitatem, *lege*, unitam. Pag. 232. v. 12. huminum, *lege*, hominum. *Pag*. 233. *v*. 32. *dele* tuus etc: *Ibid*. *v*. 34. Chantastastae, *lege*, Phantasiastae *Pag*. 243. v. 9. applicandi Praedestinationi, *lege*, applicandi. Praedestinationi. *Pag*. 244. *v*. 11. (§. 189.), *lege*, (§. 189. T. III.) *Ibid*. v. 13. (§. 249.), *lege*, (§. 249. T. III.).